

**05**

**A**

**1467**





*In nomine Jesu!*  
Disputatio ordinaria

&  
Catholica assertio

De

ANGELO FOEDERIS,  
ANGELO FACIEI JEHOVÆ,

&

ANGELO MAGNI CONSILII,

tum ex divinis literis, tum ex Consensu Antiquitatis  
ecclesiasticæ constructa, perpetuisq; SS. Patrum suffragiis  
nec non aliorum ecclesiæ Dd. Testimoniis  
comprobata,

*Jesuitis verò, Calvinianis, Photinianis hæreticis, ut & Novatoribus ho-*  
*diernis, ac præcipuè D. Georgio Calixto, opposita.*

*Quam*

Auspicio S. S. Trinitatis

*In Electorali Academia Wittebergensi,*

Sub Præsidio

JOHANNIS SCHARFII S. S.


Theol. D. & P. P. Collegij Senioris, Templi Aca-  
demici Præpositi & c. Patroni, Promotoris, ac Præceptoris sui  
omni observantiæ cultu ætatè colendi,

*Publicæ ventilationi subjicit*

M. Johannes Georgius Stempelius Schlaccovvald.

*Ad diem 29. Julij.*

*In Auditorio majori publ. horis matutinis.*



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Rohneri Acad. Typogr. Anno, M DC LII.



7947 A 50



Ad Eximium Dn. M. Respondentem.

**M**ulti multa strepunt, quis Fœderis Angelus, olim  
Quem quoq; conspexit plurima turba Patrum.  
Pagina sacra docet, nobis quoq; pondera monstrat,  
Hæc præter multi nil nisi falsa crepent.  
Tu vero instructus, STEMPELLI, pulpita scande,  
Atq; alto falsum temne supercilio.

Abrahamus Calovius D. PP.  
Consist. Eccl. Assessor, Pastor  
& Superint. General.

**I**nduit Angelicos antiquo tempore vultus  
Filius, æquali cum patre sorte Deus.  
Forma, ministerium, gestus, faciesq; creata est,  
Sed manet æternus, qui fuit ante, Deus.  
Angelus ille tibi semper benedicat & adsit,  
Angelus ex cunctis eruat ille malis.

Johannes Meisnerus SS. Theol. D.  
& Prof. Publ.

**U**ltima dum vasto desudat in æquore puppis,  
Et tibi postremus volvitur iste labor,  
Grande opus & sanctum, sed non sine numine, tractas,  
Quò sine nec priscis constitit ulla salus.  
Salve, STEMPELLI, celebrant quem prælia tanta!  
[Nam tua vix isthæc sit quota palma loquar.]  
Nunc pius antiquas felixq; revertere in oras;  
Crede enim, honor merus est illud abire tuum.

*Amicissimo Domino Convictori, mox discessero  
Imq; fac.*

Johannes Ericus Ostermannus P. P.


Ange.

**A**ngelicis turmis multo præstantior ille  
Angelus, æterni vivida imago patris,  
Pectore quem toto coluit reverenda vetustas  
Et benedictentem sæpe precata Deum;  
Christus is est, & huic debetur gloria soli  
Devotæque preces, nomen itemque DEI.  
Visus hic est *Abraham, Lotbo, Mosique Jacobo,*  
(In forma assumpta visus hic ipse Deus)  
Hic genus Isacidum liberavit ut inclutus heros  
Pressumque eduxit, mox sacra jura dedit.  
Absint quisquiliæ, cesset glossema Socini!  
Credo hunc esse Deum, quem Deus ipse vocat.

*Amoris sincerissimi causâ*

*ἐξέδικασεν*

M. Christianus Bornitius  
Wurzena Misnicus,





## Disputatio Ordinaria

De

# Angelo foederis, Angelo faciei Jehovæ, & Angelo magni consilij.

I.

**V**Ox, *Angelus*, sicuti origine Græca est, & sic dicitur  $\alpha\gamma\gamma\acute{\epsilon}\lambda\alpha\iota\omicron\varsigma$   $\tau\acute{\omicron}\varsigma$   $\alpha\gamma\gamma\acute{\epsilon}\lambda\alpha\iota\omicron\varsigma$ , annūciare, ita per se ratione etymi sui *Nuncium*, sive *Legatum* & *missum*, significat. Qua ratione communiter docetur, quod *Angelus* sit nomen officij, non nature, uti jam olim observatum, nec inscite commonuerunt S. Ambrosius super *Epist. ad Hebr. cap. 1.* S. Hilarius lib. 5. de *Trinitat.* S. Augustinus super *Psal. 104.* nec non idem passim inculcant S. Patres & orthodoxi ecclesiæ Doctores. Eodem sensu Ebræis dicitur  $\text{מַלְאָכִים}$  legatus, nuncius à rad.  $\text{מָלַךְ}$  ablegavit, emisit. Sic igitur appellatio ista per se non infert ministerium, sed missionem sive ablegationem. Quin nec in usu biblico ita adhibetur, ut exinde inferri debeat: *Est angelus sive legatus.* E. est *minister*, ex numero ministrantium angelorum, qualis quidem creatus angelus est; Multò minus ista vocabula, *Angelus* & *minister*, hoc sensu æquipollentia sunt, uti *Calixtus* in sua dissertatione de *Mysterio S. S. Trinitatis* & apparitione filij Dei *quest. 2. num. 33.* perversè disputat. Ita videlicet ille scribit: *Angelus*,  $\text{מַלְאָכִים}$ , significat *Legatum*, *nuncium*, & proinde *ministram*. Item *filius Dei Dominus est*, non *nuncius*, aut *minister* (ex ordine ministrantium angelorum & creaturarum.) Hæc, inquam, parum sana sunt,  $\alpha\nu\alpha\kappa\omicron\lambda\omicron\gamma\epsilon\alpha$ , & falsa. Sed & porro adhuc turpius impingit, quando d. l. n. 72. scribit.  $\text{מַלְאָכִים פְּנֵי יְהוָה}$  *angelus facierum Domini, idem est,*

A

quod

Nomen, *Angelus*, quid significet, & per se importet.

quod angelus minister, adstans in conspectu Dei. Hoc, dico, falsissimum est, uti & illud, quod ibidem num 36. statuerat, nescio an tutum sit, filium Dei angelum, id est, nuntium, legatum, sive quod idem est, *ministerium dicere*. Qualia hæc sint, dispiciant eruditi. Profectò idem non sunt, *angelus & minister*. Et quid? Christus utique est angelus fœderis & magni consilij. Anne verò propterea dicendus est minister? ex ordine, puta, *ministrantium* angelorum, uti opinatur Calixtus. Itane Christus est angelus minister, quia est angelus fœderis? Anne propterea redigendus erit in classem ministrantium angelorum? Videat ergo Calixtus, quàm tutum sit, quod tam pertinaciter disserit de angelo ministro. Nos constanter dicimus, & sonorâ voce profitemur, quod nomen, *Angelus*, ἀγγελος, מַלְאָכִים in verbo Dei per se non importet ministerium, nec in usu ejus nominis Christus redigatur in censum creaturarum.

Angeli, Doctores Ecclesie

Angeli, duces & principes.

II. Quanquam verò in famosissimo significato indigitat *creatos angelos*, seu coelestes Spiritus, qui sunt λειτουργικά πνεύματα eis διακονίαν ἀποστέλλόμενα διὰ τῆς μελλούσης κληρονομίης σωτηρίας, administratorij Spiritus, in ministerium emissi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. *Heb. 1. v. 14.* Negari tamen non potest, alijs etiam suppositis & personis non rarò attribui. Certè Sacerdotes & ecclesie Doctores nūcupantur angeli. *Es. XXXIII. v. 7. Mal. II. v. 7.* Sic Joh. Baptista vocatur angelus *Mal. III. v. 1. Propheta Haggæus. c. 1. v. 13. Paulus Gal. IV. v. 12.* Sacerdotes in Asia *Apoc. 1. v. 20. c. 11. v. 81. & seqq.* Omnes ministri ecclesie *II. Cor. V. 20.* Quos propterea veneremur oportet. *Eccles. V. v. 5.* Similiter Duces & Principes populi salutantur Angeli *Dutavid. II. Sam. XIX. vers. 37.* Nec non missi quique viri, & nuncij. *Hiob. 1. v. 14. I. Sam. XXIII. v. 27.*

III. Non absimili ratione æternus Dei filius, Christus Jesus, in verbo Dei tam V. quàm. N. T. frequenter appellatur Angelus. Nam ipse est *Angelus fœderis. Mal. III. v. 1. angelus faciei Jehovæ. Esa. LXIII. v. 9. & magni consilij*, ut Græca Ecclesia loquitur, ex versione LXX. interpretum *Esa. IX. v. 6.* Ipse est Angelus Jehovæ, qui Mosi apparuit in rubo ardente, Dominus populi sui



li sui, Deus Abrahamæ, Isaac & Jacob, qui ait Mosi, *cro qui ero. Exod. III. v. 2. 4. & seqq. cap. XIV. v. 19. cap. XXIII. 20. & seq.* Salvator Israelis *Psal. 106. v. 22.* Ipse est angelus, qui in forma viri luctatus est cum Jacobo. *Gen. XXXII. v. 24. Hof. XII. v. 4.* cui votum vovet Patriarcha & altare erigit *Gen. XXXV. v. 1. 7.* Quem Redemptorem suum dilaudat, colitq; nec non adorat. *Gen. XLVIII. v. 16.* Ipse est angelus *יהוה* Jehova, Dominus & Judex universæ terræ *Gen. XII. v. 25.* Ille ipse est ductor populi Judaici *Exod. XIV. v. 9. cap. XXIII. v. 2. & seqq.* Promulgator legis. *Exod. XIX. v. 3. & seqq. Exod. XX. v. 1. & seqq. Act. VII. 39.* Doctor Prophetarum & intercessor Ecclesiæ. *Zach. 1. v. 12. 13. 14. & Cap. II. ibid. v. 3. 4. & seqq.*

IV. Qui profectò angelus dicitur non ob naturam angelicam, nec simpliciter ob ministerium quoddam servile, ob quod Christus eo ipso, quia sic dicitur fiat minister, uti nonnulli cavillantur, sed ob officium divinitus demandatum, cujus rei gratia mittitur, præsertim ob annunciationem & revelationem divinam, uti benè monet, recteq; scribit S. Justinus Martyr *Apol. 2. pro Christianis.* *Αυτός γὰρ ἀπαγγέλλει, ὅσα δεῖ γνωθῆναι.* Ipse enim annunciat, quæ oportet cognosci. Itemq; S. Athanasius *O. rat. 4. contra Arianos* disertè ait: *Vocatur Angelus, ὅτι μόνος ἔργε δὲ προκαλύπτει, τὸν πατέρα, quoniam solus ipse revelavit Deum Patrem.* Hoc sensu filius Dei non tantùm in V. T. passim vocatur Angelus. *Gen. XLIX. v. 16. Hof. XII. v. 14.* Sed & in N. T. absolutè sic dicitur *Apoc. VII. v. 2. cap. VIII. v. 3. cap. X. v. 1. cap. XI. v. 1.*

V. Equidem non ignoro, quod B. Lutherus in commentario super Oseam cap. 1. scribit, *Christum propter ministerium quod in Ecclesia & in carne habiturus erat, dici angelum Gen. 48. Es. 63. Mal. 3.* Nec latere quenquam facilè potest, nomen angeli sub vetere foedere filio Dei attribui, cum respectu ad incarnationem & officium redemptionis in forma servili peragendum, sicuti & eadem propemodum ratione *Servus* dicitur, antequam assumpsisset formam Servi *Esa. XLII. v. 1. cap. LIII. v. 1.* Sed ob ejusmodi ministerium sic dici Christum, quò derogetur ejus divinitati, eaque sic ambigua reddatur, vel eo nomine Christus rediga-

Christus en  
dicatur An-  
gelus

digatur in classem angelorum ministrantium, idq; per se ac simpliciter eo nomine importari, nec non protinus gratificari eos Arianis, qui Christum appellant angelum, uti Calixtus contendit, id verò est, quod strenuè pernegamus. Quid enim dicemus de Christo nunc glorificato, & exaltato, sedente ad dextram Dei in supercœlestibus? Annon hodieque est angelus fœderis? Annon hodieq; est angelus Dei Patris? Annon rectè sic dicitur, etiam numtubi formam servi deposuit? Hic velim apertiùs causam suam peroret Calixtus, edisseratque planiùs, & bonum se præstet Theologum.

*Apoc. VII.*

*v. 3.*

*Angelus  
Christus*

VI. Nos urgemus dicta, quibus Christus post adscensionem in cœlos disertè nuncupatur angelus. Ipse enim est, de quo dicitur *Apoc. VII. v. 2.* Angelus descendens ab ortu solis, habens sigillum Dei vivi, obsignans electos Dei servos. Christus est iste angelus, qui stat ante aram, habens thuribulum aureum, cui dantur fuscus multi, ut offerret cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. *Apoc. VIII. v. 3.* Præterea ad Christum refertur, quod legitur *Apoc. X. v. 1.* Angelus fortis descendens de cœlo, amictus nube, in cuius capite erat iris, facies autem ejus erat, ut Sol, pedes ejus, ut columnæ igneæ. Quin porrò Christus est iste angelus *Apoc. XI. v. 1.* qui mandat metiri templum Dei, & altare, & eos, qui adorant in eo, qui dat duobus testibus suis, quod prophetent.

*Anonymus  
autor de An-  
gelo fœderis.  
Apoc. 7. v. 2.*

VII. Hunc Angelum fuisse Christum, non in scitè, nec immeritò observant, docentq; interpretes, non pauci nec ignobiles. Quam in rem egregiè differit, scribitque Anonymus Autor & commentator Apocalypseos ad cap. 7. v. 2. *Queritur ab interpretibus creatus ne sit angelus, an increatus? In creatum, nempe angelum Fœderis, statuunt quidam I. quia obsignat fideles II. Quia quatuor angelos malos compescit, quod utrumq; & præsertim prius virtutis est divina. III. Quia habet sigillum Dei, id est, Characterem substantiæ ejus. IV. quod videatur ille ipse, qui promittitur Malach. III. v. 1. Legatus vel angelus fœderis, & Malach. IV. v. 2. ac Luc. I. 78. & Zacha: III. 8. oriturus Sol justitiæ & invisens nos Germen ex alto. Sic ergo eundem hunc angelum statuunt, cum illo, de quo inf. Cap. VIII. vers. 3. & cap. X. v. 1. & 5. Et sanè, si qui-*

*d em*

dem sic intelligamus, dicitur ascendens ab ortu Solis, quia suam originem à Deo habet ab eterno, ab ipso oriente Alpha: quia missus à Patre caelesti è cælo, carnem assumpsit descendendo adscendens, vel exoriens in mundo; quia ab ortu i. in horto annunciatus, inde in reliquas oras dispersus, ab Hierusalem Orientali Evangelium disseminavit in totum mundum: quia ab ortu probabiliter rediturus ad iudicium Matth. XXIV. v. 27. juxta quosdam. Unde mos sepulturae, ut resurgentes ortum respiciant, inde anhelantes Servatorem. Dicitur idem habere sigillum Dei vivi i. quia est splendor gloriæ & character substantiæ illius. Heb. i. v. 3. & quidem non accidentaliter, sed essentialiter, non *ὁμοίως* tantum, ut Ariani, sed *ὁμοῦς*. Per species autem sigillis substantias exprimere solemus: accidentaliter quidem, sed alia hic & major est ratio, cum simile non sit idem. Sic Col. i. vers. 15. dicitur imago Dei invisibilis, cui data omnis potestas, in cælo, & in terra. Matth. XXVIII. Quem pater signavit Deus Joan. VI. v. 27. 2. Quia dat Spiritum S. quò obfirmamur. Eph. i. v. 13. 14. 3. Quia sanguine ipsius obfirmamur ad justitiam fidei. 4. Quia fide in ipsum obfirmamur ad certitudinem salutis.

VIII. Hæc ille. Idem inculcat Hugo cardinalis in postilla super Apocalypsin cap. 7. *Hic Angelus, inquit, Christus est, magni consilij angelus, secundum septuaginta. Es. IX. v. 6. Qui est lapis excisus sine manibus, qui statuam ex quatuor metallis constantem confregit. Daniel. II. v. 35. Sic Christus quatuor angelos malos devicit. Dicit ergo, vidi alterum, angelum; id est, Christum valde à præmissis diversum, descendentem ab ortu Solis, id est, à Patre vel à seipso, qui est ortus Solis, qui per ipsum illuminata est Ecclesia. Luc. i. v. 78. visitavit nos oriens ex alto. Zach. VI. v. 12. Ecce vir oriens nomen ejus &c. Item cap. VIII. vers. 3. alius Angelus est Christus, qui est nuncius bonus de terra longinqua Prov. XXV. v. 25. Hinc pergit modò laudatus Hugo, Christus est, qui dicitur nuncius sive angelus, quia patrem nunciavit mundo. Job. i. 18. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit illum: Item, quia à Deo ad Judæos salvandos missus est. Matth. XV. v. 24. Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierant domus Israel. Et benè dicitur Christus alius, & non alter, quia*

Hugo cardinalis de angelo magni consilij Apoc. 7. v. 2.

Christus absolute dicitur angelus Apoc. 8. v. 3.

in effectu Iustitiae quodammodo univocatur Deus & homo, sed in natura sunt diversi: Quia iste Creator, ille Creatura, & bene dicitur alius, quia cunctis alijs praeicatoribus, & gratia Sanctitatis & potentia virtutis & excellentia dignitatis remotus. Similiter Apoc. X.v. i. docet: Christum esse angelum fortem, quia est Dei virtus. I. Cor. I. v. 24. Rex fortis & potens, Dominus potens in praelio. Psalm. XXIII. juxta Latinam Romanam versionem (apud nos est Psalm. XXIV. juxta Hebraeos) v. 8.

IX. Consentunt & alij Doctores, atque interpretes, non è nostratibus duntaxat, utpote D. Hoe, Flacius, Cramerus, Gerhardus, Winckelman. Muthesius &c. Sed & ex Pontificijs, Ludov. ab Alcasar, & plerique Calvinistarum, ut videre licet in expositione Catholica Marlorati Apocalypsi: cap. 7. & seqq. Sic enim ille docet ex Seb. Meyer. alijsq;: *Angelus iste Apoc. VII. v. 2. descendens ab ortu Solis & habens sigillum Dei &c. Christum significat, qui etiam angelus Testamenti à propheta appellatur Malach. III. v. 1. dicitur ab ortu solis ascendere, quia ad nos missus est à Patre caelesti, quemadmodum ipsemet testatur. Exivi à Patre, & veni in mundum Job. XVI. v. 28. Et Zacharias pater Johannis Baptistae ipsum orientem ex alto vocat. Luc. 1. v. 78. Habentem sigillum Dei vivi. Hoc verè Christo competit, qui est imago Dei invisibilis. Col. I. v. 15. Splendor gloriae & expressa imago substantiae illius. Heb. I. v. 3. quem pater signavit Deus. Job. VI. 27. cui etiam data est potestas in caelo & in terra. Matth. XXVIII. v. 18. in summa, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter Col. II. v. 9. Item Apoc. cap. VIII. v. 3. Alius iste angelus est Christus à patre missus in mundum, ut mediatoris partes obiret, atque electos à Satanae imposturis servaret, &c. Nec non cap. X. v. 1 Porro ex hujus angeli descriptione apparet, esse angelum mediatorem, angelum Testamenti, adeoque magni consilij, Christum Dominum nostrum, quem ideò fortem vocat Johannes, quia opem pijs laturus erat adversus impios, & crudeles exactores. Hinc Dominus fortis est, & potens, Dominus potens in praelio. Psalm. XXIV. v. 8. Cui omnes omninò cessurae sunt inferorum portae. &c. Praeterea in Biblijs Belgicis Apoc. 7. vers. 2. Sic legitur:*

Hic

Dier door wordt Christus verstaen die den opgang  
is uyt de hooghte/ende die alleen 't zeghel des leben-  
digen Godts heeft/ om de syne daer mede te verze-  
gelen/ en die het opperste gebiet heeft over alle En-  
gelen. Item Apoc: 8. v. 3. de altero, qui ibi apparet, ita  
scribitur: Ende wordt door desen Engel hier nood-  
wendelick Christus onse Middelaer verstaen/ de  
Engel des verbondts/ ende des aenschyns Godts/  
Jes. 63. 9. ende Malach. 3. 1. die allende Priester des  
Demels is/ende onse ghebeden met het reuck-werck  
syner verdiensten/ op den gouden Altaer/ dat is/ op  
hem selven/ Gode tot eenen aenghenamen reuck  
offert ende voor draeght/ghelyck betuyght wordt/  
Rom. 8. 34. Debr. 4. 14. ende 9. 24. ende Cap. 13. v. 10.  
15. 1. Joan. Cap. 2. v. 1. Apoc. Cap. X. v. 1. Dese meynen som-  
mige dat de Engel Gabriel gheweest is/ om dat syn  
naem een stercke Godts beteeckent: Doch meest  
alle andere uytleggers verstaen by desen Enghel  
den Derre Christum selve/ die hier in een gesichte  
verschynt als dalende uyt den Dinniel/ tot troost  
van syne Gemeynte/ niet in syne eyghene menschli-  
cke nature/ Welcke de Demel moet behouden  
tot de oprechtinghe aller dingen/ Actor. 3. 21.  
Plura vide sis Cap. XI. & seqq. Similiter de angelo isto Apoca-  
lyp. cap. 7. cap. & cap. 10. differunt Emanuel Tremellius &  
Franciscus junius in notis Biblicis. Et quidem super Apocaly-  
psin Cap. VIII. ad verba ista: Angelus alius venit & stetit apud a-  
ram, habens thuribulum aureum &c. sic commentantur. *Hic  
Imperator summus Dominus Jesus Christus, Rex & Servator no-  
ster: qui tum intercedit apud Deum, & patrem pro Sanctis, odore  
grato, perfundens caeleste Sanctuarium, eorumque preces, ut labio-  
rum vitulos, & holocausta offerens, hoc vers. adeo ut singuli (tan-*

ta est Christi eūdīa & sacrificijs illius efficacitas) conciliati contine-  
antur cum Deo, & ipsi sint acceptissimi vers. 4. Imo ex thesauro  
suo & ab eodem sanctuario effundit in mundum ignem irae suae divi-  
nis signis unā accedentibus, eaque ratione, ut feciales Rom. olim,  
bellum indicit rebellanti mundo. Addatur denique & Notetur  
probè quod Piscator in commentario super Apocalypsin cap. 8.  
v. 3. in scholijs commodè monet scribitque: *Nec verò novum*  
*est, Christum nominari angelum, nec absurdum, eum in unā ea-*  
*demq; visione sub varijs imaginibus introduci pro diversitate actio-*  
*num perpeffionumq; ipsius, ut in hac visione. introducitur, tanquam*  
*agnus, quia pro electis jugulatus est, & tanquam angelus offerens*  
*electorum preces, quia eorum summus sacerdos est.*

X. Hæc illi, alijque plurimi, ex visceribus textus verè ita  
docent, demonstrantque. Equibus abundè satis constat, quàm  
leviter agat, & quàm imperitè disputet Novator Georg. Calixtus,  
quando tum in dissertatione sua de Myfterio S. S. Trinitatis &  
apparitione filij Dei sub veteri foedere disputat, *unigenitum fili-*  
*um Dei nunquam in verbo Dei simpliciter & absolutè vocari ange-*  
*lum*, tum id quoque alibi passim defendere ac propugnare non  
dubitat. Turpiter fallit, nec parum errat, quando *in disert.*  
*num. 36*, de angelo, à Patriarcha Jacob petit benedictionem pro  
nepotibus suis, sic ratiocinatur: *Qui filium Dei constituit angelum*  
*nuncium & ministrum* (ex errore suo & præconcepta falsa opi-  
nionem ita loquitur) *is filij divinitatem, si non planè evertit, certè*  
*ambiguam reddit.*

XI. Arguta scilicet accusatio, sed temeraria nimis & levis-  
sima est, quin & injuriosa in Deum ipsum & Prophetas. Hi enim  
Christum non duntaxat angelum, sed & servum absolutè vo-  
cant. *Ecce*, ait jehovah Deus, *Servus meus, innitar ei: electus*  
*meus, in quo sibi complacuit anima mea: dedi Spiritum meum super*  
*eum, judicium gentibus proferet. Esa. XLII. v. 1.* Item *Leve est*, ait  
*Dominus est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & ad re-*  
*ducendum desolationem Israël, etiam dedi te in lucem gentium, ut*  
*sis salus mea usq; ad extremū terra. Esa. XLIX. v. 6.* porro dicit Jeho-  
va: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur subli-*  
*misq; erit valdè. Es. LIII. v. 1.* Notitia sui justificabit justus, ser-

vus

us meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. v. 11. Item suscitabo super meas oves servum meum David, ipse pascet eas, ipseque erit eis in pastorem. Ego autem Jehovah ero eis in Deus, & servus meus David princeps in medio earum, ego Jehovah locutus sum. *Exeb. XXXIV. v. 23. 24.* Et servus meus David erit Rex super eos, & pastor unus erit universis ipsis: & in judiciis meis ambulabunt & mandata mea custodient, facientque ea: Et David servus meus erit princeps eis in seculum. *Cap. XXXVII. v. 24. 25.* De Messia sive Christo dicta illa loquuntur, qui illic, & ut alibi absolute vocatur servus. Videat ergo Calixtus, quam argute scripserit: *Qui Filium Dei (Christum) constituit angelum, nuncium seu ministrum, is filij divinitatem, si non plane evertit, certe ambiguum reddit:* Ita scilicet Jehova Deus filium suum confitetur servum & ministrum. Ita Prophetæ eum fore servum prænunciant. Ergone Filii divinitatem, si non plane evertunt, certe ambiguum reddunt? Tanta est Calixti *ἀνεπίβητα* Logices, qui tam subtiliter arguuntur didicerit. Nos verò invertimus potius argumentum, & longè rectius ita arguimus: *Qui angelo creato attribuit nomina verè divina, solique vero Deo propria, nec non attributa & opera verè divina, & ea quidem, quæ passim angelo faciei Jehovah, Redemptori, Duci & Doctori populi Israël in divinis literis assignantur, is si non plane evertit filii Dei divinitatem, certe ambiguum reddit.* At verò Novatores hodierni, quorum antesignanus est Calixtus, id faciunt, uti paulò post fusiùs exponetur. E. Si non evertunt plane filii Dei divinitatem, certe ambiguum eam reddunt.

XII. Prætereà sic disputat Calixtus dicto loco num. 33. *Qui talibus filium Dei angelum dixerit, vel simpliciter & absolute angelum appellaverit, gratificabitur Arianis, & eatenus consentientes habebit.* Itane ergo antiquissimi quique Sancti Patres, & Orthodoxi Ecclesiæ Doctores, gratificati fuerunt Arianis? illi certe in universa antiquitate ecclesiastica Filium Dei absolute nuncupant angelum, ut legere licet apud Justinum Martyrem, in Apolog. Posterior. nec non in dialogo cum Tryphone, apud Irenæum lib. 3. adversus hæreses, cap. 6. lib. 4. & alibi passim. Apud Tertullianum in libro adversus Praxeam cap. 16. &c. Clement

B

Alexan.

*Christus in  
V. T. dicitur  
servus.*

Alexandrin. S. Cyprian. S. Athanas. Hilarium, Basil. Magn. Ambrosium Chrysoftom. Cyrill. Alexandr. Theodoretum, &c. Omnes illi aliique plurimi constanter docent, *Christum esse illum angelum, qui Mosi apparuit in rubo ardente. Exod. 3. v. 2. 4. 14. 15. &c. Exod. 14. v. 19. cap. 23. v. 20. 21. &c.* Qui deduxit Israëlitas in itineribus suis per deserta, *Psal. 106. v. 21. 1. Cor. 10. v. 4.* Apertè scribunt, angelum faciei Jehovæ *Esai. 63. v. 9.* esse Christum filium Dei. Quos omnes quâ fronte inculcare ausit Calixtus, quod Arianis gratificati fuerint, quâvè conscientiam ipsos tanti criminis postulare non dubitet, ipse viderit. Profectò tantùm abest, ut orthodoxi & sanctissimi illi viri Arianorum tibi inflaverint, ut potiùs illis vehementer restiterint, atq; contradixerint.

XIII. Tandem concludit Calixtus ibid. Num. 36. *Filium DEI Angelum dicere, est divinitati ejus detrabere.* Falsissimum hoc est & prodigiosum commentum. Universa prisca Ecclesia Christi ita docuit, ut modò delibavimus, & infra fusiùs edocebitur. Ergone illa divinitati Christi detraxit? Rectiùs Orthodoxi Patres decernunt, illos incurabiles esse, qui inficiantur, Filium DEI esse illum Angelum, qui sanctis DEI viris non rarò apparuit *Exod. 3. &c.* eosque hæreticis accensent, uti constat ex Basilio Magno, & Cyrillo Alexandrino.

*datur angelus toto genere diversus ab angelis ministrantibus.*

XIV. Sed ut singula ordine paullò altiùs pensitentur, atq; enodentur exactiùs, primò omnium præoccupandum hoc loco est, quòd Angelus iste, de quo impræsentiarum exponimus, toto genere differat à reliquis angelis. Non enim creatus est, sed increatus angelus, cum non sit creatura Dei, sed potiùs ipse creator omnium, Archangelus & princeps angelorum, Michael. *Apoc. XII. v. 7.* Rectè Tremellius in notis super Apocalypsin cap. 7. v. 2. de alio angelo, quem ibi vidit Joannes notat, *eum non solum alium esse sive differentem numero à communibus angelis Dei, sed essentia ipsa, officio, & operatione angelis omnibus antestantem, id est, Christum Jesum angelum, vel æternum sermonem, Mediatoremque fœderis: Sic infra Cap. VIII. v. 3. & X. v. 1. & 5.*

XV. Neque verò dubium videri debet, quod Christus post ascensionem ad cælos in terris apparuit, & se præsentem stiterit, præ-



præsertim in apparitionibus, sanctis Dei viris & Apostolis factis. Sic enim in via Damascena Paulo apparuit, & ab eo visus fuit *Act. IX. v. 4. 5. & seqq.* lux è cœlo illic circumfulget Saulum, & confestim audit vocem Christi dicentis: *Saul, Saul, quid me persequeris.* Vidit quoque Dominum Jesum, ut Ananias ibid testatur. *v. 17. Jesus qui tibi apparuit, ὁ ὄψεις σου, visus est tibi in via, qua veniebas. &c.* Item *cap. XXII. 14. Te (Paulum) delegit, qui videres Justum, ἰδεῖν τὸν δίκαιον (Christum) & audires vocem ex ore ipsius.* Et quid? Jesus ipse dixit Paulo. *Exsurge & sta super pedes tuos, idcirco enim tibi apparui, εἰς τὸ γὰρ ὄψην σου visus sum tibi, ut designarem ministrum te, ac testem eorum, qua vidisti. &c.* Ecce Dominus Jesus Christus cum Paulo & locutus fuit in via Damascena, & ab eo ibidem coram visus. Verè igitur ac realiter in vero & proprio suo corpore ibi in terris apparuit, & in eo præsens visus fuit. In vero, inquam, & proprio suo corpore adfuit præsens, non in alio aliquo novo, eam in rem efformato, non in spectro alicujus visionis, aut aliena specie, ut nonnulli Calvinistæ somniant.

Christus etiam post ascensionem in Cælos apparuit & visus fuit.

XVI. Quod ipsum adeò clarum atq; manifestum est ex textu, ut Paræus Calvinistarum facilè princeps, diffiteri non ausit, sed apertè ipse attestatur, Christum ibi verè visum fuisse in proprio suo corpore. Sic enim in commentario super. *I. Cor. 9. pag. 503.* hanc in rem egregiè scribit. *Vidit Paulus Jesum Christum, Dominum nostrum tum oculis mentis, tum & corporis aliquoties: primum in via Damasci. Etsi enim in historia tantum videatur Dominum audivisse, non etiam vidisse, cum diceret, Domine quis es? quid vis, ut faciam? tamen Ananias testatur, quod & viderit & audiverit eum in via.* Deus, inquit, Patrum nostrorum te delegit, qui cognosceres voluntatem ejus, ut videres justum illum, & audires vocem ex ore ipsius. *Paulò post cum in templo oraret, in ἐκστάσει vidit Dominum sibi dicentem: festina & exi citò ex Hierusalem, quoniam non accipient testimonium tuum de me. Vidit etiam Dominum in tertio cælo. II. Cor. XII. Denique in carcere vidit & audivit Dominum supra se stantem & dicentem: Confide Paule, ut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet Romæ testificari. Has visiones omnes videtur comple-*

Paræi Calvinistæ confessio.

*Et*. i. Cor. XV. 8. *cum dicit*: Ultimò omnium sibi quoque tanquam abortivovisum Dominum esse. Hæc Paræus ibidem. Eadem repetit super i. Cor. 15. vers. 8. ita nimirum Paulus oculis corporis vidit Christum in suo corpore, in quo à mortuis resurrexit, sicut eum viderant Cephas, Apostoli, alijq; discipuli Christi. i. Cor. 15. v. 5. 6. 7. 8. Ideò & inde resurrectionem Christi à mortuis adstruit, ibid. nec non suum Apostolatam. I. Cor. IX. 1. Corporalis certè ea fuit visio, sicuti & isti, quibus apparuit post resurrectionem, eum viderant in corpore proprio, in propria persona, nec in cœlo remotum, sed in terra propinquum. Quicquid sit de spirituali visione, res ipsa tamen verissimè subfuit & adstantem atque præsentem vidit, non in imagine, specie aut phantasia. Visio hæc rem visam reverà exhibuit, non inanem ejus repræsentationem aut speciem.

*Christus apparuit in Apocalypsi Johanni.*

XVII. Similiter visus fuit Christus Evangelistæ & Apostolo Johanni *Apoc. 1. v. 12. 13.* Exulat ille in Insula, pathmos, & ecce videt Christum in medio septem candelabrorum, in medio Ecclesiarum Asiaticarum, similem filio hominis ex mortuis redivivum. Quæ certè visio non tantum fuit spiritualis & interna, sed ocularis & externa, uti facilè constat ex graphica descriptione illius visionis, quâ motus Johannes convertit se, ut videret, & conversus vidit v. 12. quaque prosternitur ad pedes tanquam mortuus, sed & contactus visioni conjungitur. Posuit enim Christus visus dextram suam super Johannem & alloquutus est, dicens, noli timere. Ecce ego sum &c. Confer *Apoc. XIV. v. 1. & seqq. Cap. XIX. v. 11. 12.* Ubi Christus videtur in equo albo sedens, amictus veste, tinctus sanguine, vocaturque nomen ejus ὁ λόγος τῆς θεῆς, sermo Dei. Sed hæc οἱ ἐν παροῶν.

*Christus in V. T. itidem apparuit in formâ angelici.*

XVIII. Ad rem ipsam ut propiùs accedamus, illud exinde liquidò patet, quod in apparitionibus Apocalyptiis non tantum creati angeli apparuerint, & visi fuerint Johanni Evangelistæ & Apostolo, sed & Christus ipse, qui verè increatus angelus est, æternus Dei filius. Et hoc est, quod primò omnium in præsentiarum præstruendum & præcognoscendum duxi.

XIX. Jam ut in V. quoque Testamento idem iste angelus increatus, Christus Jesus, intelligatur rectiùs, faciliùsque à reliquis

quis creatis angelis discernatur, Imprimis diligenter notanda sunt nomina, quibus signanter indigitatur, & graphicè insignitur, quando nimirum nuncupatur מלאך הכרית angelus fœderis *Mal. III. v. 1.* מלאך נביא Angelus faciei Jehovæ *Esa: LXIII. v. 9.* Angelus magni Cōsiliij ut in Græcâ Ecclesia vocatur ἀγγελος μεγάλης βουλῆς ex *Esa. IX. v. 6.* Hæc, inquam, nomina distinctè ac emphaticè designant angelum increatum, quem æternum Dei filium esse constanter docemus, & apertè profiteamur. De hoc angelo illis nominibus, titulisque claro, nunc porrò impræsentiarum paullo fusius acturi sumus.

*Angelus  
fœderis*

XX. Ac primò quidem de angelo fœderis dubium nullum est, quin ipse sit Christus Jesus, æternus Dei filius. Sic enim disertè dicitur *Mal. III. v. 1.* *Ecce veniet Dominator ad templum suum, quem vòs quæritis, & angelus fœderis, quem vos desideratis: ecce venit, dicit Jehovah exercituum.* Quis ille venturus Dominus? profectò Christus est, promissus mundi salvator, cujus præcursor sit Johannes Baptista, angelus hoc loco dictus, quod mittendus sit, ut venturo Domino viam sternat, præparetque, uti notum satis est, tum ex consimili vaticinio, *Esa. XL. v. 3. 4. Marc. 1. v. 3. Mal. IV. v. 5. 6.* tum ex interpretatione ipsius Christi *Matt. XI. v. 10. Cap. XVII. v. 12. Marc. IX. v. 13.* & Evangelistarum *Matt. III. v. 2. 3. Luc. I. v. 16. 17. Cap. III. v. 5. 6. Job. I. v. 23.* Commòdè incidit locus Judæi & Historici Josephi, ex libro 18. historiarum & antiquitatum Judaicarum Cap. 10. qui de Johanne Baptista sic scribit. *Quibusdam Judæorum videbatur ideò perijsse Herodis exercitum, quia in eum satis justè indignatio commota sit pro vindicta Johannis, qui vocabatur Baptista.* Hunc enim Herodes occidit, virum valde bonum, qui præcipiebat Judæis, virtuti operam dare, justitiam colere, in Deum servare pietatem, & per Baptismum in unum coire. Tum demum enim baptismum acceptabilem fore, si non solum ad abluenda peccata sumatur; verum etiam ad castimoniam corporis, atq; ad animæ justitiam, purificationemque servetur, omniumque pariter virtutum, velut signaculum & custodia quadam fidelis habeatur. Quæ cum ab eo præcepta hujusmodi docerentur, atque ad audiendum eum quàm plurima turba concurreret, veritus Herodes, ne fortè doctrinæ ejus persuasionem populi à suo

*Josephus Ju-  
deus histori-  
cus de Jo-  
hanne Ba-  
ptista*

regno discederent. Videbant enim, quod praeceptis ejus ac monitis parata esset plebs in omnibus parere. &c. Confer Galat. de Arcan. cathol. veritat. cap. 2. lib. 3. pag. 137.

Christus est  
angelus fœ-  
deris Mal.  
III. descri-  
ptus.

Hieronymus  
de angelo fœ-  
deris.

XX. Certè Christus est verus יְהוָה Dominus templi sui, quod ipsi exstructum fuerat *Esdra* i. v. 3. Sicut & primum illud *I. Reg. V. v. 5. cap. VIII. v. 16. & seqq.* Quippe ipse solus est יְהוָה lapis, basis, petra fidei atque salutis. *Psal. LXXXIV. v. 22. Psal. XCV. v. 1. Psal. LXXXIX. v. 27. II. Sam. XII. v. 2. 3. Psal. XVIII. v. 3.* Lapis iste pretiosus fundamenti fundati, quem Dominus Jehovah posuit in Sion. *Esa. XXXVIII. vers. 10.* Lapis angularis *Psal. CXVIII. v. 22.* In quo ædificata est ecclesia. *Eph. II. v. 20. I. Pet. II. v. 4. 5. 6.* Christus Jesus est ille venturus *Matt. XI. v. 3.* quem anxie desiderabant expectabantque Judæi fideles Veteris fœderis. *Luc. XI. v. 25. 38.* Erat desiderium gentium. *Hagg. II. v. 8.* Sed & venit Dominus ille ad templum suum *Luc. II. v. 22. 27. 42. 45. 49. Job. II. v. 13. 14. 15. 16. Luc. XX. v. 46.* Quare nullum dubium est, ut benè monet S. Hieronymus super hunc locum, quin dominator iste salvator sit, qui creator est omnium, & angelus Testamenti & magni consilij appellatur. Judæi hoc, quod dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, de Helia propheta dictum intelligunt, & quod sequitur: Statim veniet ad templum suum dominator, & quem vos quaritis, & angelus Testamenti, quem vos vultis: referunt ad ἡλεμμενον, hoc est Christum suum: quem dicunt ultimo tempore esse venturum. Sed miror, quomodo eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum suum inveniet dominator, quod usq; ad fundamentum destructum est? aut si ab alio extruendum est, antequam Christus adveniat: quid Christus eorum amplius facturum est, cum ab alio restituta sint omnia? Dominus noster in Evangelio Heliam prophetam, Johannē Baptistā inter pretans loquitur: Si vultis scire, ipse est Helias, qui venturus est: de quo & hic idē propheta, quem nunc disserimus, scribit in fine: Ecce ego mitto vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. Quomodo autem Helias Johannes sit, dedit nobis viam intelligentiæ, in virtute & Spiritu, eum venisse commemorans. Quæ omnia, ut alibi abundè satis demonstrata atque evicta sunt, ita hoc loco vel unicum antiquissimi historici jose-

Josephi testimonium sufficiat. Cujus certè autoritatem. jud. ei repudiare non possunt. Sic autem ille *l. 18. antiquitatum judaicarum* scribit de Jesu Christo *c. 6. Fuit iisdem temporibus Jesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector & Doctor eorum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt. Et multos quidem judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjūxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorū; cū Pilatus in crucem agendum esse decrevisset, non deseruerūt, qui ab initio dilexerunt eum. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati propheta vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant, sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat, & genus. Videatur Philo Judæus *lib. de Agricult. pag. 152.* qui Christum vocat primogenitum Dei filium, & magnum pro Rectorem gregis sui.*

Josephus historicus Judæus de Christo Jesu.

XXII. Dicitur autem angelus fœderis non ideò tantum, quia in fœdere Dei promissus est. *Deut. XVIII. v. 15. 18.* Sed potius, quia est fundator, firmator & Mediator fœderis, ut prolixè edocetur *in Epist. ad Hebræos cap. VII. Cap. VIII. IX. X.* Divisi eramus nos à Deo propter peccata nostra, quæ separant Deum & homines. *Esa. LIX. v. 2.* Natura eramus filii iræ *Eph. II. v. 2.* Sed Christus suo sanguine nos reconciliavit *Rom. V. v. 10.* in gratiam reduxit, ruptum fœdus instauravit & sancivit. Unus enim est Mediator inter Deum & hominem, Homo Christus Jesus, qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro omnibus, *I. Tim. II. v. 5. 6.* Ipse est sponsor potioris fœderis, qui in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium: Unde & servare prorsus potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellat pro eis. *Heb. VII. v. 22. 23. 24. 25.* Est melioris Testamenti intercessor, quod præstantioribus promissis sancitum est. *Heb. VIII. 8. v. 6.* Est novi fœderis Mediator, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Heb. IX. v. 15.* Est fundamentum omnium promissionum divinarum, omnesque in ipso sunt *v. 15.*

Angelus fœderis cur sic dicatur.

Summa doctrina de Angelo fœderis.

Angelus magni Consilij.

Christus cur dicatur angelus magni consilij.

ὡς αὐτὸς αὐτὸν etiam & amen. Suo sanguine Testamentum Dei confirmavit. *Heb. IX. v. 16. 17.* nec non obsignavit arrhabone Spiritus sui, quem dedit in cordibus nostris. *II. Cor. I. v. 22.* Eph. *IV. v. 30.* Ipse est obses & firmator omnium promissionum divinitus editarum *juxta illud Esa. XLIX. v. 8.* Dedi te in fœdus populo, ut ratum faciat, stabiliat, confirmet & obsignet fœdus seu Testamentum Novum, quod institui debebat, non tantum voce, sed & sanguine & sacrificio suo. Nisi enim mors Testatoris intercedat, nullum testamentum confirmatum est. *Heb. IX. v. 91.* Innitatur igitur huic Dominatori & angelo, ut ab eo sustentemur, & in fœdus cum Deo de reconciliatione & redemptione generis humani recipiamur, ut sit nobis in patrem, & nos simus ei in filios & filias. *II. Cor. VI. v. 18.* Quæ omnia D. Balduinus in Comment. super Malachiam ita complexus est: *Christus vocatur angelus Testamenti, partim quia in ipso Deus fœdus inivit cum populo, quæ sibi elegit in peculium, tanquam semen illud benedictum, quod Deus pollicitus erat Abrahamo & cæteris Patriarchis: partim quia ipse nobis acquirit omnia ea bona, quæ Deus nobis in isto fœdere promittit, partim, quia ipse est mediator fœderis inter Deum & hominem: Unde Paulus dicit: reconciliasse sibi mundum in Christo. II. Cor. V. v. 13, partim etiam, quia hoc gratuitum Dei fœdus ipse nobis annuntiavit. Job. I. v. 18.*

XXIII. Sed, ut dixi, hæc indubitata prorsus sunt, & adeo certa atque explorata, ut hoc loco extra controversiæ aleam posita sint, sicut & illud negari non potest, quod de angelo magni consilij præoccupavimus. Christus ipse est, qui *Es. IX. v. 6.* in originario Hebræo textu nominatur *אֱלֹהִים נִסְיָא* admirabilis, consiliarius Deus fortis. At verò is ipse à Græcis *LXX.* interpretibus ibidē nuncupatur quoq; *μεγάλῃς βελῆς ἄγγελος*, magni consilij angelus. Nec sine ratione sic dicitur. Ipse enim est, qui revelavit nobis voluntatem Dei, exposuitque consilium ejus de negotio æternæ salutis. Rectè ac graviter scribit Instinus Martyr in dialogo contra Tryphonem Judæum. *Christus vocatur magni consilij angelus, quia patrem nemo novit, nisi filius, qui, quæ à patre accepit, revelat nobis, ipse verbum Patris, ipse mundo Evangelizavit.* Hieronymus in Commentario super Esaiam ad hunc locum monet: *LXX. Interpretes Græcos majestate nomium,* (qui-

(quibus *Mefias*, puer nascendus, in Hebræo textu insignitur quod sit *Deus fortis*, גבר אל &c.) perterritos non ausos fuisse de puero dicere, quod apertè *Deus* appellandus sit, sed pro his nominibus posuisse, quod in Hebraico non habetur: *Magni consilii angelum & adducam pacem super Principes, & sanitatem ejus*, additque, *Quod hunc mihi sensum habere videtur*: *Magni consilii angelus est, qui nunciavit nobis abjiciendum pro tempore Israel, & gentes esse salvandas, deditq; pacem principibus suis, Apostolis & Apostolicis viris, & sanitatem dogmatum suorum credentibus dereliquit.* Eadem inde notat Hugo Cardinalis super hunc locum *Esaia*.

*Christus cur dicatur angelus magni Consilij*

XXIV. Sed propiùs ad rem loqui videtur S. Cyprianus in Serm. de Nativitate Christi, pag. 427. Consiliarius dictus est parvulus iste, qui & alibi dictus est magni consilij angelus, eò quod secreta Dei, quæ ab hominibus erant abscondita, publicè revelavit, referans *arcana Dei & S.S. Trinitatis, ceteraq; ad salutem necessaria &c.* Eandem nomenclationem probat Dionysius lib. de Cælest. Hierarch: cap. IV. in fine, ejusq; expositores Hugo & Albertus. Et certè angelus magni consilij ratione nominis nihil aliud est, quàm *nuncius consilij magni*, id est, magnus consiliarius, qui divina consilia atq; mandata ad homines pertulit, quæque à Deo doctrinam accepit, & verba, quibus homines ad novam & cælestem vitam instituerat, ut Jesuita Sanctius in commentar. super *Esaia*. cap. 9. exponit, additque, quod *ea translatione septuaginta interpretum utatur ecclesia in tertia missa Nativitatis Domini.* Quæ cum negari, ut superiùs dixi, non possint, non est, quod illis ampliùs immoremur.

XXV. Calixtus ipse hîc non omninò dissentit, quin potiùs utrumque Angelum, nempe *Angelum fœderis & magni consilij*, de Christo exponit. Sic enim in dissertatione sua de mysterio SS. Trinit. & apparitione Filii DEI sub veteri fœdere, quæst. 2. num. 33. hanc in rem disertè scribit: *Filius DEI in Vetere Testamento semel Angelus appellatur, non tamen simpliciter, sed Angelus fœderis. Mal. III. v. 1. suo videlicet sanguine fœdus sanciturus & confirmaturus; cujus proinde in carnem adventu, passione & morte fœdus nititur; & qui in fœdere cum Patribus inito promitti-*

*Calixtus de angelo fœderis & magni Consilij.*

tur venturus, unde dicit S. Paulus, eum fuisse ministrum Circumcisionis, i. e. circumcisorum Judeorum, sive apud circumcisos Judaeos ministerium suae missionis peregrisse, pro DEI veritate, ut confirmaret promissiones Patrum. Rom. 15. 8. & Dominus ipse: Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israelis. Matth. 15. 24. Esa. 9. appellatur μεγάλῃς Ἐσλῆς ἄγγελος, magni, de redimendo videlicet genere humano, consilii Angelus, non quidem in fonte Hebraeo, sed in versione Graeca, quae hodie extat. Hæc sunt loca, quibus filius DEI Angelus appellatur, unicus quidem in originario, alter in Graeco textu: & utrobique non simpliciter, sed cum additamento.

XXVI. Hæc Calixtus. Verè quidem scribit de Angelo Fæderis & magni consilii, sed in eo turpiter se prostituit, quando addit ibid. semel & non simpliciter Angelum dici Filium DEI. Hæc perfectò vox indigna est veterano Theologo, & innovationem pessimam sapit. Falsissimum hoc est, ut tum ex superioribus non obscure patet; tum mox infra ordine ostendendum erit. Hic audiatur modò S. Basilius Magnus, qui libro secundo Everforio Contr. Apologet. Evnomii longè rectiùs hanc in rem disserit, & jam olim in hæretico Calixti opinionem damnavit. Sic enim scribit ibid. pag. 329. *Filius DEI propriam sibi ipsi, & decoram æternitatis suae appellationem, in responso ad proprium servum Mosén excogitavit, existentem seipsum nominans. Ego enim, inquit, sum qui sum. Atq; his nemo contradicet, quòd non ex persona DEI dicta sint, nemo perfectò, qui non Judaicum velamentum in lectione Mosi cordi suo incumbens habet. Scriptum enim est, quòd visus est Mosi Angelus Domini in rubo, in flamma ignis. Postquam itaq; Angelum in narratione preposuit Scriptura, DEI vocem inducit. Dixit enim, inquit, Mosi: sum Deus Patris tui Abraham. Et paulo post rursus: Ego sum qui sum. Quis igitur idem Angelus & Deus? Nonne de quo didicimus, quòd vocatur nomen ipsius magni consilii Angelus? Ego quidem non puto pluribus opus esse ad demonstrationem, verùm amantibus Christum sufficere & recordationem: his verò, qui incurabiles sunt, nullam utilitatem ex multitudine eorum, quæ dicuntur, accessuram esse. Et si enim postea factus est magni consilii Angelus, attamen neq; prius de-*  
digna-

Basilii Magni  
de angelo Increa-  
to, filio Dei.



dignatus est Angeli appellationem. Neque enim hic solum invenimus Dominum nostrum & Angelum & Deum à Scriptura appellatum. Sed & Jacob visionem mulieribus enarrans ait; Et dixit mihi Angelus DEI. Et paulò post de eodem; Ego sum Deus, qui visus sum tibi in loco, ubi unxisti mihi illic columnam. Atqui illic coram columna dictum est Jacob, Ego sum Dominus, Deus Abraam patris tui, & Deus Isaac. Qui itaque hic Angelus dictus est, is ipse illis dicit, se Jacobo visum esse. Omnibus igitur manifestatum est, quòd ubi & Angelus & Deus idem appellatus est, unigenitus significatur manifestans seipsum hominibus per revelationes, & voluntatem Patris sanctis suis annuncians. Quare & qui coram Mose existentem seipsum nominavit, non alius quis præter Deum Verbum, qui erat in principio apud Deum, intelligi poterit.

XXVII. Cæterum de Angelo faciei Jehovæ nunc dispiciendum erit. Ingens de eo lis vehemensque contentio agitur, & hodieque orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus intenditur, num videlicet Angelus iste faciei Jehovæ, Esa. 63. v. 9. sit creatus Angelus, an verò sit increatus, æternus DEI Filius, qui ut supra vidimus, Angelus Fœderis & Angelus magni consilii nuncupatur? Hæretici Photiniani & Sociniani, Smalcius in refutat. Thes. Aug. Cõf. D. Frantzii, qui & Calvinum, & Oecolampadium pro se adducit, Enjedinus in Explicat. Loc. Script. &c. Item, Pontificii Doctores, ut & nonnulli Calvinianorum, creatum esse Angelum contendunt. Cornelius à Lapide in Comment. super Esaiam c. 63. v. 9. Angelum faciei Jehovæ interpretatur, Angelum jugiter DEI, præsentem & assistentem. Fuit enim, inquit, hic Angelus Michael, qui vel primus, vel unus è primis Angelis est, ideoque unus è septem primariis Angelis, qui coram Domino, ejusque throno stare dicuntur, Apoc. 4. v. 5. & Job. 12. v. 15. Rursum vocatur hic Angelus faciei, qui scilicet faciem & presentiam DEI referebat, & quasi vicarius loco DEI Hebræis aderat, eratque quasi facies Dei, ut quasi ductor ex Dei nutu præiret eorum castra, & ostenderet, quo loco ea movere aut figere deberent. Hic enim angelus in columna nubis præcedens castra Hebræorum, dux fuit eorum usque in Chanaan. Vnde de angelo hoc ait Deus Mose. Exod. 33. v. 14. Facies mea præcedet te. Præterea Jesuita Sanctius super hunc locum ita commentatur:

Angelus faciei Jehovæ

Cornelius à Lapide

Sanctius Je-  
suita de an-  
gelo faciei  
Jehova.

Calvinorum  
quorundam  
opinio

Calixtus  
hæreticorū  
amulus.

Angelus faciei indicat, angelos stare coram Domino, & divinorum consiliorum ministros esse. Et mox addit, constat septem esse angelos inter alios, ut apparet, precipuos, & stare dicuntur ante faciem Dei. Apoc. 4. v. 4. Gratia vobis, &c. à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Et idem cap. 3. & 5. quorum è numero fuisse Raphaelem, ipse testatur Tob. cap. 12. v. 15. Ego sum Raphael angelus unus è septem, qui stamus ante Dominum. Ex his spiritibus nemo, credo, dubitavit unum esse Michaëlem, qui Synagoga princeps erat, & cui populi Dei tutela credita, ut pluribus ostendimus in nostris commentariis super Zachariam. Ex his mihi occurrebat, ut arbitrabar, non inepta hujus loci sententia, cet angelus, qui præfectus erat Israelis custodia, angelus esset faciei, id est, unus è septem, qui Deo assistunt, non illi tamen ita credidi populo causam, ut illius curam & salutem abjecerim: quare ego ipse salvavi eos, & non angelus faciei. Eadem propemodum inculcant Calviniani nonnulli, quorum sententiam prodit Marlortus in expositione Catholica super hunc Esaiæ locum. Sic ille scribit: Vocatur hic angelus faciei, quia testis fuerit Dei præsentia, & quasi ejus apparitor ad jussa exequenda, ne putemus angelos prodire à seipsis, aut proprio motu se ingerere, ut opem nobis ferant, quia Dominus utitur eorum opera, & præsentiam suam nobis per eos declarat. Angeli nihil ex se possunt, nec opem ferunt, nisi quatenus eos emittit Dominus, ut sint ministri nostræ salutis. Ergò ne hæreamus in ipsis, quum recta nos ad Deum ducant. Item Musculus ibid citatur, qui angelū faciei à Deo missum asserat ex numero & ordine præstantium angelorum.

XXVIII. Hæc communis opinio est hæreticorum Photinianorum, nec non Pontificiorum recentiorum, & quorundam Calvinianorum. Horum vestigia splendidè premit D. Georg. Calixtus, Acad. Helmstad. Professor primarius, utinam non crassiora traderet? Ita scilicet ille in fine famosæ suæ dissertationis Quæst. 2. num. 72. tragædiatur. Censor omnem movet lapidem, ut filium Dei in classem Angelorum ministrantium redigat. Sollicitat itaque locum Esaiæ 63. v. 9. De angelo faciei Jehovæ. Et paulò post subdit: Rectius Liranus, Glossæq; ordinaria & interlinearis interpretantur de angelo, quem Deus miserit, & B. Luthe-

rus

*rus ad hac ipsa Prophetæ verba: Sic in Ægypto ad mare rubrum per angelum sunt servati. Respicit videlicet historiam, quæ est Exod. XIV. v. 19. Profectus angelus Dei, qui præcedebat castra Israëlitarum, ivit à tergo eorum, & profecta columna nubis, quæ erat ante eos, stetit à tergo eorum, & venit in castra Ægyptiorum & castra Israëlitarum, fuitque nubes & caligo Ægyptiis & illuminavit noctem Israëlis, nec appropinquavit alter alteri tota illa nocte. Rectissimè hoc ipsum. מַלְאָךְ פְּנֵי אֱלֹהִים Angelus facierum Domini, idem est, quod angelus minister adstans in conspectu Domini, ad accipienda & exsequenda mādāta promptus. Sic etiam dicit Gabriel, Ego sum Gabriel, ὁ παρρησιῶς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, quī adsto in conspectu Dei; perinde est, ac si dixisset, ego sum Gabriel, angelus facierum Dei.*

XXIX. Hæc Calixtus. Immane quantum ille ructat. Primò injuriam facit Censori, quem vocat. Is enim nequaquam movet omnem lapidem, ut filium Dei in classem angelorum ministrantium redigat, nec propterea sollicitat locum Esaia 63. v. 9. *Improbè dicta hæc sunt, ut ipse Censor non immeritò responderet in Apologia pro judicio Colleg. Theol. Argentorat. in causa Latermanni Anno 1646. lato contra Dissertat. & animadversiones Theologi cujusdam Juliani. Sect. 3. cap. 2. infine. De reliquis infra ordine videbimus. Deinde B. Luthero nostro insignem, & hoc loco, ut alibi sæpiùs, grandemq; intorquet injuriam. Rectissimè, ait, Lutherum Verba Prophetæ de angelo faciei Jehovæ referre ad historiam de angelo, qui eduxit Israëlitas ex Ægypto. Exod. XIV. v. 19. Ajo & ego, rectissimè hoc ipsum factum esse à Luthero, sed sonora voce regero atq; edissero, Calixtum hoc etiam loco, suo more, nequiter cavillari & pervertere verba Lutheri. Nequaquam Lutherus inde adstruere voluit, quod angelus faciei Jehovæ sit quispiam creatus angelus, uti Calixtus contendit. Rectissimè, inquam ego, Lutherus ex historia Mosis liberationem populi judaici ex Ægypto per angelum factã asserit, sed quod istum angelum vel hic loci Es. LXIII. vel illic Exod. XIV. statuerit fuisse creatum, illud è dictis non liquet satis, nec colligi potest, quin & perversissimum hoc est Calixti cavillum, ne dicam, mendacium.*

*Calixtus de angelo faciei Jehovæ.*

*Mens Lutheri depravatur.*

Lutherus de  
angelo faciei  
Jehova.

Lutherus de  
angelo In-  
creato, qui  
est eternus  
Dei filius.

XXX. Contrarium apertè docet B. Lutherus in commen-  
tario super Oseam cap. i. exponens verba Dei; *Salvabo Judam in*  
*Jehovah, Deo ejus, pag. 405. Illa, inquit, Ecclesie defensio, que*  
*inde ab Ada lapsu perpetua fuit, non per angelos, sed per Dei Fi-*  
*lium facta est, quem Scriptura sæpè angelum appellat. Sicut Gen.*  
*XLVIII. Angelus Domini, qui me eruit ab omni malo Esa. LXIII.*  
*Angelus faciei ejus salvavit eos (Ecce angelus faciei Dei Luthero*  
*est non creatus quispiam, sed increatus angelus, æternus Dei fi-*  
*lius) angelus fœderis, quem vos desideratis. Etsi enim Angelo-*  
*rum ministerio Deus ad Ecclesie defensionem utitur, tamen Chri-*  
*stus solus est, qui Sathana vires infringit, & caput ejus conterit.*  
Item super cap. XII. Hoseæ ad verba, Jacob prævaluit angelo, e-  
oque potentior fuit, flevit & precatus est eum: In Bethel inve-  
nit eum, & ibi locutus est nobis Dominus, Deus exercituum, Do-  
minus, memoriale ejus sic commentatur: *Addit Propheta hoc*  
*in loco aliud nomen & vocat (Maleach.) quod angelum sonat. Itaq;*  
*Judei suo more nugantur & (Elohim) etiam exponunt angelum, sed*  
*veritas nos aliud docet. (Audi Calixte, arrige aures & attende.)*  
Scimus enim Christum propter ministerium, quod in ecclesiâ &  
in carne habiturus erat, dici angelum. *Gen. XLVIII. Esa. LXIII.*  
*Mal. III. Ecce rursus hîc Lutherus contradicit Calixto & por-*  
*ro sic pergit: Itaq; clarum est, Angelum hunc, qui & (Elohim) di-*  
*citur, fuisse filium Dei. Et Jacob, quia in ea lucta vicit, vocatur*  
*Israël, quod Deum vicerit. Et paulò post ibid. Hic iterum memi-*  
*neris mysterii Trinitatis, Deum & angelum vocat, ac post addit,*  
*in Bethel invenit eum, & ibi locutus est nobis. Quis? Nimirum,*  
qui erat Deus & angelus (Maleah Elohim) *Ut autem prorsus nihil*  
*dubites, quis ille Deus & angelus sit, addit, Dominus Deus exerci-*  
*tuum, Dominus memoriale, seu nomen ejus. Hic Augustum,*  
*Dei nomen (Jehovah) tribuitur Domino nostro Jesu Christo, quod*  
*ipse sibi sumit, cum dicit, Philippe, qui videt me, videt patrem me-*  
*um. Hanc lucem cæci judæi non digni sunt, ut videant, itaq; cum*  
*legunt hæc, quid legant, nesciunt, & impossibile est, ut ex hoc loco*  
*possint se evolvere, aut eum rectè explicare, si autem verum est,*  
*quod propheta ex Spiritu S. locuti sunt, quod potest Trinitatis cla-*  
*rius testimonium ostendi?*

XXXI. Hæc

XXXI. Hæc omnia habet docetq; Lutherus. Quæ diligentes observentur velim. Notes ergo *ὡς ἐν παρόδῳ* I. Quod Lutherus ibi clariss. S. Trinitatis testimonium statuatur. II. quod nomen Jehova, sit augustum Dei nomen, quod soli vero Deo competit, indeque divinitas Christi solidè adstruatur. III. Quod angelum faciei Jehovæ *Esa. III.* disertè asserat filium Dei Christum. IV. Quod Christus propter ministerium, quod in ecclesia & in carne habiturus erat, dicatur Angelus, sicuti & aliàs eandem fermè ob causam dicitur servus Dei, ut supra exposui. Christus enim est ille servus, de quo Dominus ait *Esa. XLII. v. i.* Ecce servus meus *עבד.* &c.

XXXII. Hæc, inquã, omnia & singula probè ruminet, expendatq; Calixtus, & dispiciat, quã fronte, quã conscientia, quo candore hoc loco citaverit Lutherum. Scilicet hæc sunt specimina cãdoris, iudicii & eruditionis Calixtinæ. Anne hoc est turpissimum & perversissimum cavillum, quo sive imperitè sive nequiter pervertere verba Lutheri molitur? *Es stehet aber gleich wohl nicht fein/wenn man sich mit Cavillen und solchen *Ὀυαγια*, v. Strophis behelffen will. Ja es ist eine grosse grobheit und insulsiat, man er es nicht gewußt: eine grosse boßheit aber/da er es gewußt.* *Recognosce verba authoris Helmstadiani.*

*Angelus faciei Christi est.*

XXXIII. Sed causatur Calixtus, Lutherum respicere historiam, quæ est *Exod. 14. v. 19.* Profectus angelus Dei, qui præcedebat castra Israelitarum &c. Ita est. Annuo, ajo & ego idem, & hoc ipsum quidem rectissimè. Sed quod Lutherus propterea, id fecerit, ut inde astrueret, angelum faciei Jehovæ ex *Es. LXIII. vers. 9.* esse creatum angelum, id verò est, quod nunc quæritur; & maximè controvertitur: Id, inquam, est, quod strenuè nego, & pernego prorsus. Hoc ergò probet Calixtus, si vir est.

XXXIV. Quin in contrarium porrò non pauca nec exigua tradit Lutherus passim, atque egregiè edisserit. Adverte modò, quid ex historia Mosaica de liberatione Israelitarum ex Ægypto, nec non de deductione populi judaici per deserta, ejusq; ductore, ductore & servatore, statuatur. Christum eum fuisse, clarè docet in Comment. super ult. verba Davidis. Sic ibi pag. 155. scribit. *Weiter spricht Paulus 1. Cor. 10. Sie truncken von dem geistli-*

geistlichen Fels/ der mit ihnen zoch/ der fels aber war Chri-  
stus. Ist Christus zur selbigen zeit gewesen/ der mit den Kin-  
dern Israël gezogen ist/ und von dem sie geistlich getruncken  
und geistlich getauft sint/ das ist/ mit vns einerley glauben an  
den zukünftigen Christum/ der vns nu erschienen ist/ gehabt/  
So muß Christus rechter ewiger Gott seyn/ denn an die Engel  
kan man nicht glauben/ welches Gott allein gebühret/ auch  
sie nicht vnser geistlichen speise seyn können/ Gott muß selber  
seyn. Item daselbst I. Cor. 10. spricht er/ laßt vns Christum  
nicht versuchen/ wie jener ettlich versuchten/ und wurden von  
den schlangen vmbbracht/ was wil hie werden? Schreibe  
doch Mose allenthalben/ es sey der Herre jehovah der rechte  
einige Gott/ den die Kinder Israël versuchten/ Exod. 17. wa-  
rumb versucht ihr den Herrn? Num. 14. spricht der Herr/  
Sie haben mich wohl zehenmahl versucht/ Istis der Herr wie  
Mose schreibt/ wie kans Christus seyn/ wie Paulus schreibt?  
nun müssen sie bey de recht schreiben/ denn der Heilige Geist  
ist nicht wieder sich selbst. Hieraus folget gewaltiglich/ und  
unwieder sprechlich/ das der Gott/ der das Volck Israël aus  
Egypten und durehs rothe Meer geführet/ in der wüsten  
durch die wolcken seule und Fewr seule geleitet/ mit Him-  
melbrot genehret/ und alle die wunder gethan/ so Moses in  
seinen Büchern beschreibet. Item, der sie ins Land Canaan  
bracht/ und drinnen Könige in Pristerthumb/ und alles ge-  
geben hatt/ sey eben der Gott und kein ander/ den Jesus von  
Nazareth Marien der Jungfrauen Sohn/ den wir Christen  
vnsern Gott und Herrn nennen/ den die Juden ge Creüziget  
haben/ und noch heutiges tages Lästern und Fluchen/ wie Esa.  
8. sagt/ Sie werden in ihrer angst Fluchen ihren Könige und  
ihrem Gotte. Item, Er istis/ der auf den Berge Sinai Mo-  
se die Zehen Geboth gibt und spricht/ Ich der Herr bin dein  
Gott/

Gott/ der dich aus Egypten geführet hatt/ du solt für mir  
keine ander Götter haben/ ja Jesus Nazareus am Creutz  
für uns gestorben/ ist der Gott/ der in dem ersten Geboth  
spricht/ Ich der Herr bin dein Gott/ wenn solches die Jüden  
und Machmet hören solten/ wie solten sie tobent? dennoch ist  
war/ und muß war bleiben ewiglich/ und sol ewiglich dafür  
zittern und brennen/wers nicht gleubet.

XXXV. Audi Calixte, quid edicat Lutherus, quid commi-  
netur? Attende ac rumina quæso rectius omnia. Profectò contre  
misces ob tuam temeritatem, qua Lutheri verba pervertere, inq;  
alium sensum detorquere hæctenus non veritus fuisti Audi  
porro, nec contemne admonentem. Sic pergit in subsequenti-  
bus pag. 163. Col. B. & de Christo scribit: Du hast gehöret/  
daß ers sey/ der mit Mose auf dem Berge Sinai redet/ Mo-  
sen und das Volck führet und wunder thut/ und ob er wohl  
nit allein ist/ ders thut/ sondern der Vater und Heilige  
Geist/ mit ihm alles/ und einerley werck thun/ so offenbah-  
ret er sich gleichwohl mit solchen reden und thun/ daß er sey  
eine unterschiedliche Person/ vom Vater/ in dem einigen  
Göttlichen wesen.

XXXVI. Hæc omnia B. Lutherus ibidem operosè inculcat.  
Tantum itaque abest, ut Lutherus angelum faciei Jehovæ expo-  
nat de creato quodam angelo, ut contrarium apertè asserat,  
nempè Christum fuisse illum angelum, qui Mosi apparuit in  
rubo ardente. *Exod. III. v. 2. & seqq.* quique populum Dei ex  
Ægypto potenti brachio suo liberavit, nec non per deserta de-  
duxit, legemque in Monte Sinai promulgavit. Quæ cum con-  
stans Lutheri de angelo increato, filio Dei, sententia sit & do-  
ctrina, uti ordine infra fusiùs edocebitur, abundè satis inde di-  
spalescit, quantam hæctenus, quamq; atrocem ei injuriam in-  
torserit Calixtus.

XXXVII. Et hoc primum est, quod in perversissimo Calixti  
judicio de angelo faciei Jehovæ præmonendum erat. Lustre-

D

mus

Errores Calixti de angelo faciei Jehovæ.

mus porrò atque excutiamus paulò pressius, quæ dicto loco eâ super re pronunciat Calixtus. Sic scribit: **פניו** Angelus facierum Domini idem est, quod angelus minister, adstans in conspectu Domini, ad accipienda & exequenda mandata promptus. Sed vanissima & perversissima ea omnia sunt. Committit petitionem principiis, **τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει**. Nam hoc ipsum primò in quæstione est, & in controversia versatur, num angelus iste, qui dicto loco **פניו** angelus faciei Jehovæ dicitur sit minister, seu creatus angelus, ex numero ministrantium angelorum, uti Calixtus opinatur. Deinde falsissimum est, & **πρῶτον ψεῦδος** in eo latitat, quando ait; *angelus faciei Jehovæ idem est, quod angelus minister*, uti supra in initio statim hujus dissertationis præoccupavimus. Tertiò frustra, & temerè hoc loco fingit Calixtus plures Dei facies. Hic enim facies Dei patris intelligitur, & distinguitur à Spiritu Sancto. Quanquam enim **פניו** sit pluralis numeri, propterea tamen non statim significat plures facies Dei, quæ ut ratione essentiaæ divinæ una est, ita & hoc loco una singularis quædam intelligitur. Rectè monet docetque D. Wellerus in *Begzeiger der Gottheit Jesu Christi* pag. 81. num. 27. *Dieses ist ein zimlicher Irthumb in der grund Sprache und werden geminæ nuptiæ, plures Athenæ ex unis erträumet / die weil das Wort פניו zwar ist formæ pluralis numeri, aber weil es nur pluralis numeri, so kan man so wenig alhier von vielen Angesichtern dichten / als einer / der ettwa aus den nuptiis, aus der Hochzeit zu Cana. Joh. 2. viel Hochzeiten erdencken wolle / denn solche nomina bedeuten nur eines / es sey denn / das die Umstände des Textus klar andeuten / das von vielen geredet werde / welches aber allhie nich zu finden / dahero die Interpretes solches Panim durch das **πρῶτον**, faciem, hin und her / und auch allhier gegeben.*

XXXVIII. Sed & perversissima tota glossa Calixtina est quæ & idiotismo linguæ, & textui repugnat. Sic n. verba sonant;

ומלאו פניו רשעים באהבתו ובחמלתו  
הוא גאלם וינטלם וימלשם וינשאם כל ימי עלסו;  
Ang.



*Angelus faciei ejus salvabit eos, in dilectione sua, & in indulgentia sua redemit eos, & portavit eos, & tulit eos cunctis diebus seculi.* Notanter dicitur, quod sit *angelus faciei jehove*, non quod steter coram Deo, ceu minister proutus, nec propterea tantum sic dicitur, quod semper videat faciem Dei, & ab ejus jussu & nutu mittatur, sed ideò imprimis, quia est *Ipsa facies Dei*. *Exod. XXXIII. v. 14. 15.* in qua Deus videtur à facie ad faciem. *Gen. XXXII. v. 30.* Est imago Dei & character personæ ejus. *Coloss. I. v. 15. Ebr. I. v. 3.* Notanter dicitur, quod angelus iste salvaverit populum suum, quodque in amore, sive propter dilectionem & propter indulgentiam suam redemerit eos. Quod utique de nulla creatura, de nullo creato angelo uspiam dicitur, sed Jehovah Deus ipse est, qui salvavit populum suum per dominum *Deut. XXXIII. v. 29.* liberavit è manu hostium *1. Sam. XIV. v. 6. 23. Cap. XVII. v. 47. 52. & seqq. 2. Sam. III. v. 18. 2. Reg. 14. v. 26. 27.* Multis vicibus liberavit eos, ut prolixè enarratur *Psal. CVI. v. 7. 8. & seqq. 43. & c. Psal. CVII. v. 3. & seqq.*

XXXIX. Certè verbum *יְהוָה* propriissimè & famosissimè intelligitur de vero Deo, salvatore illo unico, qui est Deus salutis nostræ *Psal. LXV. v. 9. Psal. 55. LXXVI. v. 9.* Cornu salutis *Pf. XVIII. v. 3.* qui solus est verus salvator *יְהוָה* præter quem non est alius *Esa. XLIII. v. 11, cap. XLV. v. 21.* Qualis salvator Christus est, sanctus Israelis. *Esa. XLIII. 4. 3.* Quem Esaias *cap. XLIX. vers. 26.* peculiariter & signanter deprædicat salvatorem & redemptorem populi sui. Christus ipse est, de quo dicit *Cap. XII. v. 2.* Ecce Deus salus mea, confidam & non pavebo, quia fortitudo mea, & laus mea Deus Jehovah, fuitque mihi solus & c. *XIX. v. 20.* Deus mittet salvatorem & redemptorem, liberabitque eos. Nec non *cap. LXII. v. 11.* Ecce salus tua (salvator tuus) venit, & ecce merces ejus cum eo. & c. Profectò verus Deus est, qui ex mera dilectione sibi elegit populum. *Deut. VII. v. 7. cap. IX. v. 5. cap. X. v. 15.* Et ideo ex ardentissimo illo amore, nec non fæderis sui cum populo judaico initi, juramentique recordatione redemit Israëlitas, indeque misertus eorum, servavit eos sæpius, protegiteque, utut gravissimis peccatis ipsum irri-

D 2

tarent,

tarent, *Exod. XXXII. v. 7. & seqq. cap. XXXIII. v. 5. 14. c. XXXIV. v. 6. 7. &c.* Unde Moses exclamat. *Exod. XXXIV. v. 6. 7. Jehovah, Jehovah fortis, misericors & miserator, tardus ad iram & multus misericordia & veritate; servans misericordiam millibus, aufere-rens iniquitatem & pravaricationem, & peccatum.* Quam Dei indulgentiam, clementiam & misericordiam passim deprædicat ecclesia. *Psal. CV. Gloriamini in nomine sancto Dei, letetur cor quærentium Jehovah, quærite Jehovah, & mementote mirabilia-um ejus, ô Semen Abraham, servi ejus, ô filii Jacob electi ejus. Ipse est Jehovah Deus noster, in universa terra judicia ejus. Memor fuit in seculum pacti sui, verbi, quod præceperat in mille generatio-nes, quod pepigit cum Abraham, & juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud ipsi Jacob in statutum Israël in pactum sem-piternum. Psal. CVI. v. 7. 8. Patres nostri in Ægypto non intelle-xerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis miseri-cordiarum tuarum: sed rebellaverunt juxta mare, in mari Suph: servavit tamen eos propter nomen suum, ut notam faceret forti-tudinem suam.* Ita nimirum Dominus Deus noster Clementia & Longaminitate usus fuit erga populum suum *II. Paralip. XXXVI. v. 15.* Et hoc ipsum est, quod hîc deprædicat Esaias, quando scribit Angelus faciei Jehovah salvavit eos, & propter amorem & indulgentiam suam redemit eos.

XL. Sed & porro notanter dicitur, quod portaverit Israëlitas, & tulerit eos cunctis diebus seculi. Quod ipsum certè solus Dei opus & beneficium est, ut videre licet. *Exod. XIX. vers. 4. Deut. I. 31. Psal. LXXX. v. 1. & seqq.* Ego, inquit Jehova Deus, *ambulare feci pedibus ipsum Ephraim, & portavi eos in brachijs suis, & non agnoverunt, quod sanaverim eos, funibus hominum traxi eos, funibus Charitatis, & fui eis, ut qui exaltent jugum in maxillis eorum, & admovi ei cibum. Ose. XI. v. 3. 4.* Quæ divina potentissi-ma & gratiosissima populi judaici portatio graphicè describi-tur. *Deut. XXXII. v. 10. 11. 12. 13.* Pars Jehovahæ est populus ejus, Jacob fors hereditatis ejus. Invenit eum in terra deserti, circumduxit eum, instruxit eum, custodivit eum, ut pupillam oculi sui, ut a-quila, qui excitat nidum suum, super pullos suos cubat, expandit alas suas, assumit eum, portat eum super alas suas. Jehovah solus deducit.

deduxit illum, & non fuit cum eo Deus alienigena. Imposuit eum super excelsa terræ, & comedit fructus agri, fecit ut sugeret mel ex petra, & oleum è silice terræ &c. Item *Esa. XLVI. vers. 3.* *Audite O domus Jacob, & omnes reliquia domus Israelis,* (audite me ait Jehovah Deus,) *qui portamini à me ab utero, & gestamini inde in ventre, & usq; ad senectam. Ego sum vobiscum, & usq; ad senectam ego portabo, ego feci, & ego feram, ego, inquam, portabo & eruam.* Videte, hoc est divinum illud opus, quod laudat Propheta Esaias, idque angelo faciei Jehovah attribuit. Nimirum, Filius Dei is est, qui perpetuò sic portavit populum Israëlis. Is ipse est, Pastor ille, qui gregem suum pascit, brachio suo congregat agnos, & in sinu suo portat, fætasque deducit. *Esa. XL. v. 11.* Christus est, qui suos portat super latus, & super genua lætificat, qui que consolatur, sicut vir, quem mater sua consolatur. Ut inde consolationem accipiamus, videamus, & gaudeat cor nostrum. *Esa. LXVI. v. 12. 13. 14.* Ipse est, qui deduxit Israëlitas per desertam *Exod. XIV. v. 19. cap. XXIII. v. 10.* uti mox infra fusius edocebitur. Unde liquidò patet, quàm perversè agat Calixtus, quando angelum faciei Jehovah interpretatur, exponitq; de angelo creato, qualis fuerit Gabriël vel Raphaël.

XLI. Jam Profectò quivis facilè intelligit, quàm insulsum præterea atq; ineptum sit, quod ex genere dicendi sive proprietate sermonis elicere satagit. Contendit inde, docetque angelum illum faciei Jehovah nihil aliud significare vi dictionis seu ratione loquendi, quàm ministrum in conspectu Dei stantem, sicuti id ipsum exemplo angeli Gabrielis probare conatur. Sic enim hanc in rem in sua dissertatione sub fin. scriptitat: *Dicit Gabriël, ó πρεσβυτέρως ἐνώπιον τῆ θεῶ, qui adsto in conspectu Dei, perinde est, ac si dixisset. Ego sum Gabriel, angelus facierum Dei.* Sic enim *Apoc. IIX. v. 2.* *Vidi septem Angelos, qui adstant in conspectu Dei, parati videlicet jussa capeßere, quibus data sunt septem tubæ.* *Liber Tobie cap. XII. v. 15.* *Ego sum Raphael angelus, unus è septem, qui adstant ante Dominum.* Hæc, inquam, inepta & insulsa sunt, præterquã enim, quod angelus faciei Jehovah, de quo loquitur Esaias cap. LXIII. toto genere distet ab alijs creatis, qui stare dicuntur in conspectu Dei, adeoque & longè alio modo diceretur

ante Deum stare, profectò ex idiotismo linguæ sanctæ & ratione loquendi, qua dicitur angelus faciei Jehovæ, מלאך פנים id nequaquam exsculpi potest, quod iste angelus *stet in conspectu Dei ceu minister, paratus jussa Dei capescere, ac exequi*, sicuti alij angeli Deo ministrant. Hoc, inquam, exinde nequaquam sequitur, aut legitimè deduci potest.

XLII. Equidem non diffitemur, nec dissimulamus, filium Dei dici esse apud Deum patrem, ut *Job. 1. v. 1. ὁ λόγος ἦν παρὰ τὸν θεόν, sermo erat apud Deum, & proverb. VIII. v. 22. 30. Sapiencia Dei (æterna Creatrix omnium, filius Dei) ait, Jehova possedit me in principio via sua, antequam quicquam faceret, & eram ילדוֹן apud eum, tanquam à latere ejus (לצדוֹן enim latus significat) ἡμην παρὰ αὐτῶ, ut LXX interpretes vertunt. At verò nequaquã fuit apud Deum, ceu minister, sed tanq. ὁμοῖος ejus filius, ceu imago invisibilis, Primogenitus omnium creaturarum *Col. 1. v. 15. ceu splendor gloriæ & character personæ patris. Heb. I. v. 3. Job. I. v. 14. ceu יוֹדוֹן Prov. VIII. v. 30. Architectus, Ein Werkmeister/ ut benè vertit Lutherus, per quem & mundus factus. Job. I. v. 10. Qui omnia cum patre ὁμοίως operatur Job. V. v. 19. Qui gloriam suam apud Deum habuit, antequam mundus existeret. Job. XVII. v. 5. Quare longè rectius hâc in causâ de angelo faciei jehovæ differit D. Wellerus in *Begeizer der Gottheit Jesu Christi/ pag. 81. num. 27. Es ist falsch/ ait, das die wörter/ der Engel seines angesichts/ oder der für ihm ist/ sol heißen der Engel so ihm dienet. Sintemahl (a) kein Einzig Exempel hie wird können vorgebracht werden/ das das wort פנים in solcher art der construction, einen dienst bedeute. Es bringet auch (b) die Herführung des worts solches nicht mit sich/ wie allen der Ebreischen Sprache erfahren bekand. Dahero wen es (c) diese bedeutung haben sollte / müste es nach der Ebreischen Sprach also lauten יוֹדוֹן עמוֹר לפניו Et angelus stans coram eo; oder יוֹדוֹן משרת את פניו & Angelus ministrans ei, der Engel***

Engel so ihm dienet/ der Engel so für sein Angesicht stehet.  
Denn also wird diese art/ so einen dienst bedeutet/ vom H.  
Geist aus gesprochen. 1. Reg. 12. 8. 2. Paral. 10. 8 1. Sam. 2. 28.  
Esth. 1. 10. Zach. 3. 4. Deut. 1. 38 1. Sam. 16. 22. 1. Reg. 1. 2. 28.  
cap. 5 16. Vnd bringet doch jenes nicht alsbalt einen dienst  
mit sich/ daß es hiesse: Stehen für einen/ oder für eines An-  
gesicht/ sey alsbalt an und für sich einen dienen/ oder auch ihn  
anbeten / wie es gefunden wird. Jer. 15. 1. 2. Paral. 20. 13. Gen.  
19. 27. Lev. 9. 5. Sondern es heist auch wohl vor einem da  
stehen/ oder für einem bestehen/ wie zusehen Exod. 9. 11. Gen.  
43. 15. &c. Vnd wen es endlichen (d) also zuschliessen stün-  
de: hie stehet der Engel des angesichts Gottes/ drum so  
heist es so viel/ als der Engel so ihm dienet: So müste diese  
art zureden Ich habe den Herrn von angesichte zu angesichte  
gesehen Jud. 6. 22. Deut. 34. 10. &c. Suchen oder bitten das  
angesicht des Herrn 2. Sam. 21. 1. 7. Reg. 1 13. 6. Mal. 1. 9. Jer.  
26. 19. Dan. 9. 13. Zach. 8 21. 22. 1. Sam. 13. 18. auch heißen/  
bitten oder suchen den dienst des Herrn oder den Herrn der da  
dienet/ und dergleichen: Gott erhebet v. erleuchtet das Liecht sei-  
nes angesichts/ VNS vber uns/ Num. 6. 25. Psalm. 4. 7. 67. 2.  
würde heißen: Erleuchte das Liecht/ so da dienet/ vber uns.  
In Summa/ weil kein Einziges exempel wird können her-  
für gebracht werden/ da das wort Panim, Angesichte/ an und  
für sich bloß oder in einer solchen Art zureden/ wie das wort  
alhier stehet/ bedeute einen dienst/ so ist es eine Unwissenheit  
der Ebreischen Grundsprache des Heiligen Geistes/ wen  
man solches auf die Bahn bringen wil/ und dadurch die Jü-  
denwieder die Christen vertheidigen.

XLIII. Novimus equidem, nec ignotura cuiquam facile  
 esse potest, quod nomen פני apud Hebræos latissimè pateat,  
 & varias diversissimasque habeat significationes, uti & apud la-  
 tinos facies, sic appellata, quæ adspiciat huc atq; illuc, inquit  
 Rabbi David: & Hebræis quidem פני descendit à radice,  
 פנא aspexit, respexit, quod plurale semper est, ut rectè notat  
 Sanct. Pagninus & Mercerus in lexico sive thesauro linguæ san-  
 ctæ, *terminatione seu inflexione: significatione tamen nunc singu-  
 lari nunc plurali, ut usus postulabit.* Metaphoricè Aspectum, vel  
 partem anteriorem rei cuiusvis, & externam rerum speciem,  
 habitum vel gestum significat, quod Græci nunc προσωπον,  
 nunc ὄψια vocant: à respiciendo & advertendo. Hinc & He-  
 bræi פני pro modis dicunt, quasi respectus dicas. Hoc no-  
 mine commodè reddes, quas personas in sacrosancta Triade  
 appellamus, ut tres Hypostases, seu subsistentia notentur, non nu-  
 da nomina, ut quidam impiè פנים reddunt. Substantias autem  
 intelligimus, quæ mutuum inter se respectum important, ut vox He-  
 bræa sonat, sed ejusdem interim essentia. &c. Est ubi aptè vertes  
 Personam: est ubi Habitum, vel statum: Item Aspectum, Superfi-  
 ciem. Cæterum Dei, seu Domini facies in Scriptura bifariam  
 dicitur, vel de divina Essentia, Gloria, vel Majestate, quæ à solis  
 angelis, & beatis in altera vita cernitur & comprehenditur non  
 ab homine, quamdiu hîc vivit, vel de externa forma, qua sese ex-  
 hibet, & conspici vult in verbo suo, & sacramentis ac externis re-  
 bus, quibus olim sæpè suam præsentiam declarabat Israelitis &  
 Patribus, ut in Arca, Propitiatorio, columna nubis, ignis, & a-  
 his. Unde & faciei Dei nomine reperies locum, ubi colitur & suam  
 liabet ecclesiam, intelligi. Ut quum à facie Domini, Genesis 4.  
 dicitur fugisse Cain, id est, à loco, ubi Dei promissio de semine sona-  
 bat, & ubi erat ejus verus cultus. Sic res externa, quibus Deus se  
 verbo suo alligat, ubi vult esse præsens, conspici & coli, Dei Facies  
 dicuntur. Si faciei Dei, verbum lucis adjungatur, & interim sine  
 eo, Letitia significatur, Favor, Benevolentia & Benedictio, tam in-  
 terna, quàm externa.

XLIV. No-

XLIV. Notare omnia loca atque enarrare, quibus vox ista  
 וַיִּבֶן diversimodè usurpatur, nimis prolixum foret, liceat sal-  
 tem ea huc adscribere, quæ de facie Dei expressiùs loquuntur,  
 quæque eruditissimus Ebræus D. Salomon Glafsius in Rhetori-  
 ca sua sacra Tractatu 1. cap. 7. studiosissimè collegit. *Facie  
 Dei, scribit, significat ejus manifestationem 1. in beato eternitatis  
 seculo Psal. 16. 11. Saturitas lætitiarum cum facie tua. Psalm. 17. 15.  
 Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cum expergefactus  
 fuero in imagine tua. Matth. 18. 10. Angeli semper vident faciem  
 patris mei, qui in cælis est. Conferri potest 1. Reg. 25. 19. ubi vi-  
 dere faciem Regis significat, ei esse familiarem & intimum. Huc  
 pertinet appellatio faciei divinæ, quam videri in hac vita posse  
 jehovah negat. Exod. 33. 20. 23. Cui posteriora Dei, seu qua à ter-  
 go sunt, ἀὐτὸ πρὸ πλάτης opponuntur, atq; ea visurū Mosen promitti-  
 tur: iisq; aliqua gloriæ divinæ imago, revelatione cælesti in hac vita  
 ostensa, intelligitur, sicut quis hominem ex tergo, & sic imperfectè,  
 non autem perfectè & clarè à facie agnoscit. Confer. 1. Cor. 13. 12. & c.  
 II. in hoc mortalitatis seculo, cum se in hominibus patefacit, &  
 quidem 1. in specie, quò pertinet, quod facie Dei aspectabilis ejus  
 presentia notatur, qua per columnam nubis & ignis ab Israëlitis po-  
 pulo visa in deserto fuit. Exod. 33. 13. Et dixit jehovah, facies mea  
 ibit, & requiescere faciam te. v. 14. Et dixit ad eum, (Moses) si  
 non facies tua ambulaverit (nobiscum) ne ascendere facias nos  
 hinc v. 15. Nam in quo cognoscerur hîc, quod inveni gratiam  
 in oculis tuis, ego & populus tuus? nonne cum iveris tu nobis-  
 cum? scilicet uti hactenus fuisti solitus, in aspectabili columna nubis  
 & ignis. Confer Deut. 4. 37. cum nota Lutheri marginali. Ex hoc  
 deducta videtur appellatio angeli faciei jehovæ. Es. 63. 9, quo filius  
 Dei intelligitur, dictus faciei ipsius angelus, quia est ille, qui visibili  
 specie, columna scilicet nubis & ignis, Israëlitas in deserto duxit,  
 & faciem Dei quasi conspicuam populo fecit. Id quod jehovæ ipsi  
 adscribitur Exod. 14. 24. conferatur Exod. 23. 20. cap. 3. 2. seqq. ex  
 quibus locis Angeli nomen Christo tributum Esaias desumpsit. Alii  
 rationem appellationis (angeli faciei Dei) dant istam, quod ange-  
 lus ille, filius Dei, sit εἰκὼν ἀορατῆς Θεοῦ. Col. 1. 15. substantialis i-  
 mago,*

E

mago,

imago patris, per quem patrem cognoscimus, sicut per faciem, cognoscere hominem solemus. *Job. 14. 9. 10. Vident quidem omnes angeli, etiam minimorum pusillorum custodia deputati, faciem patris. Matth. 18. 10: sed tamen non sunt proprie angeli faciei eius, non referunt faciem patris exactissimè, non sunt ejus imago substantialis, splendor, character, lumen delumine&c. Tantum de hoc. Facies apparitionem etiam notat, quæ in monte Sinai populo Dei facta est Deut. V. 4, & specialius illustrem illum patefactionis divinæ modum, qui Mosi præ aliis contigit. Deut. XXXIV. 10. Confer. Num. XII. v. 6. 7. 8. & c. 2. in genere, quæ ratione vel ipse locus, in quo se hominibus salutariter & gratiosè patefacit Deus, intelligitur; vel ipsa Dei operatio, quæ conspicuum se quasi & notum hominibus reddit. Locus divinæ patefactionis est, ubicunq; ministerium verbi revelati viget: seu, ut ipse jehovah loquitur, Exod. XX. 24, quo memorare facit nomen suum, & nobis benedicit. Genes. IV. 14. 16. Cain à facie Dei abiisse dicitur. h. e. à loco, in quo parentes ejus cultum Deo præstabant. Eodem pertinet, quod de Jona dicitur, quod fugere voluerit à facie Domini. Jon. I. v. 3, nimirum extra Ecclesiam ad Ethnicos profugit, non quod ignoraret, neminem à facie Domini ita fugere posse, ne ab eo conspiceretur, sed quia putabat, extra terram sanctam non esse divinis revelationibus locum, ac proinde sperabat, in peregrinis istis locis Deum sibi molestum amplius non fore, aut flagitaturum, ut tam duram sibi visam prædicandi in Ninive provinciam suscipiat. Brentius in h. l. A conspectu Domini, h. e. terra Israel, in qua Deus dicebatur præ aliis nationibus habitare. In eâ terra erat metropolis Ecclesiæ Dei, ut arca testamenti, ex qua Deus solebat respõsa dare, Exod. XXV. In ea terra Deus instituerat publicum ministerium prædicandi verbi Dei, & solebat sese Prophetis revelare. In ea habitabat familia, ex qua Christus venturus erat, qui erat, qui vera est facies Dei, &c. Huc pertinet Exod. XXIII. v. 15. Non conspicietur facies mea vacuè: ubi de loco conventus sacri divinitus ordinato sermo est. Et hinc appellatio panum faciei. Exod. XXV. 30. Et pones super mensam panem faciei, ad faciem meam, (seu coram me) jugiter. Psalm. 100. 2. Ingremini ad faciem ejus cum.*



cum oratione *Psal. 104. 4. Quærite faciem ejus jugiter. II. Sam. XXI. 1.* Et requisivit David faciem Domini, h. e. in loco sacro ipsum consuluit &c. 2. *Ipsa Dei operatio vel generalissima est, providentia scilicet jehovæ ubivis presentissimi & efficacissimi. Psalm. 139. 7: Quò à facie tua fugiam. Confer sequentia. Vel specialior, nimirum vel iræ vel vindictæ, vel gratiæ & misericordiæ* 1. Ira ac poenæ divinæ quandoque faciei ejus nomine denotantur. *Lev. XVII. 10. Dabo faciem meam contra animam comedentem sanguinem, & excidam eam à populo suo Psalm. IX. 4. Impingent & peribunt (inimici mei) à facie tua. Psal. XXI. 10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore faciei tuæ, h. e. iræ tuæ, ut Pagninus vertit. Psal. XXXIV. 17. Facies Domini est contra facientes malum, ut succidat è terra memoriam eorum. Psal. LI. v. 11. Absconde faciem tuam à peccatis meis Psal. LXVIII. v. 3. Peribunt impii à facie Dei. Jer. XXI. 10. posui faciem meam contra civitatem hanc in malum, & non in bonum, &c. Thren. IV. 16. Facies Domini dispersit eos II. Thes. I. 9. Qui panam luent, exitium æternum, à facie Domini. I. Petr. III. 12. Facies Domini contra facientes mala. 2. *Gratia, favor, & misericordia Dei, & quæ ex ea proveniunt ac sperantur beneficia, itidem faciei Dei appellatione insigniuntur. Psal. XXXI. 21. Abscondis eos (timentes te) in secreto faciei tuæ, h. e. gratiæ & misericordiæ tuæ, Psal. XVII. 2. A facie tua judicium meum egrediatur. Psal. 89. 16. In lumine faciei tuæ ambulabunt. I. Paral. 29. 12. Opulentia & gloria à facie tua est. Inde hæc emergunt phrasæ de Deo: Elevare faciem & lucere facere faciem super aliquem, h. e. misericordiam & gratiam exhibere. Num. VI. 25. 26. Psal. IV. 7. Psal. 31. 17. Psal. 67. 2. Psal. 80. 4. 8. 20. Dan. 9. 17. Ascendere faciem ab aliquo, h. e. gratiam denegare & iratum se exhibere Psal. XIII. 2. Psal. XXVII. 9. Psal. 30. 8. Ezech. 39. 24. &c. De hominibus: faciem Domini requirere, h. e. gratiam ejus precibus expetere. Psal. 27. 98. 2. Paral. 7. 14. &c. ambulare ante faciem Domini, h. e. secundum beneplacitum ejus vitam instituere, ut gratia divina retineatur. 2. Paral. 7. 17. Es. 38. 3. &c.**

XLV. Quæ omnia, cum ita se habeant prorsus, nec negari queant, palam inde constat, quàm frivola & insipida sint omnia, quæ Calixtus de angelo faciei jehovæ hæctenus disseruit. Etenim nec integra dictio *angelus faciei*, nec præcisè nomen, *angelus*, nec *facies Dei* allatenus importat ministerium, ut propterea *angelus faciei* nihil aliud sit, quàm minister, stans in conspectu Dei. Vanissimum proinde est, nulloque subnexum fundamento, quod tam inconsideratè & leviter effutierat Calixtus: *Angelus, scriptitat, facierum Domini idem est, quod angelus minister, additque, dicit Angelus Gabriel, adsto in conspectu Dei perinde est, ac si dixisset, Ego sum Gabriel, angelus facierum Dei.* Sed hæc omnia, ut dixi, tam levia sunt, ut prolixiorè refutationem non mereantur. Talia enarrasse est refutasse. Quæ insuper eadem facilitate rejiciuntur, quâ finguntur, pinguntur, proferuntur.

XLVI. Tandem et hoc sicco pede prætereundum non est, quod tota glossa Calixti de angelo facierum Domini, ut loquitur, Papistarum, Calvinianorum, Photinianorum & Socinianorum hæreticorum foetorem vesaniamque redoleat prorsus, & ex sordidis illorum lacunis latrinisq; hausta sit. Ac Papistæ quidem, ut supra præoccupavimus, scriptitant, angelum illum faciei Dei fuisse *Michaëlem archangelum, cui custodia populi judaici fuerit commissa, unum ex præcipuis illis septem angelis, qui coram facie Dei stant. Tob. XII. v. 15. Apoc. IV. v. 5.* Quam ob causam, pervertere verba textus atque corrumpere non dubitant, inferendo particulam *non*, ac si diceretur: *Et angelus non salvavit eos.* Videlicet inficiari non audent, illa opera in textu laudata, vero Deo competere, quin & ex historia, & deductione populi judaici constare ajunt, Deum ipsum *specialissimâ quâdam & notabili ratione &c.* præfuisse populo, & non angelum, sed Deum fuisse, cui talia beneficia sunt adscribenda. Ita nimirum commentatur Jesuita Sanctius super præsentem locum Esaiæ c. LXIII. *Adfuisse Dominum illi populo, speciali quadam ratione, ita ut populus ipse aut spectare potuerit, aut saltem à Moysè cognoscere satis est exploratum, cum Domini gloria omnium oculis apparuerit. Exod. 16. vers. 10. Cumq; loqueretur Aaron ad omnem cæcum filiorum Israël,*

Israël, respexerunt ad solitudinem & ecce gloria Domini apparuit in nube. Quod divinae protectionis testimonium habuerunt penè familiare. Quod cecinit Moses Deut 32. Dominus solus dux ejus fuit, & non erat in tribubus eorum infirmus. Idem clariùs Exod. 33. Dominus dixit nolle se jam amplius ducem esse populi, sed in ejus locum angelum suffectum iri; qui tamen Moysis oratione placatus idem officium, quod illatenus, præstare perrexit. Sic autem: eus Exod. 33. Mittam præcursores tui angelum & ejiccam Canaanum, &c. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es. Et v. 15. ait Moyses. Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Quàm bellè cum his consentiat hic Isaiæ locus, si de Dei salute intelligatur, nemo non videt. Item paulò post sic concludit: Accedit quod, quæ statim succedunt, ex omnium fermè sentètia ad Deum referantur: In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos: sed non video, quomodo hæc separari debeant ab eo, quod antecessit proximè, salvavit eos.

XLVII. Hæc ille. Atq; hætenus non malè. Verum enim verò perperam negat ea competere angelo faciei jehovæ, cum in textu de hoc ipso expressissimis verbis dicatur, quod *salvaverit Israëlitas, quodq; eos in dilectione & indulgentia sua redemerit.* Perversissima & scabiosa nimis glossa est, quam ex præconcepta sua opinione, ex picta & ficta hypothese de creato angelo textui affricare non veretur. Regulam esse scribit Hebræorum, si præcedat negatio ac deinde conjunctio vau; id est, & succedat, illud & exponendum esse negativè, ita ut idem sit quod non. Quod si ita est, habemus & hujus clausulæ facilem sensum, quem probamus, & ad ea, quæ consequuntur expeditum cursum. Non est tribulatus, nec angelus faciei ejus salvavit. Idem planè inculcat Cornelius à Lapide. in commentario super Esaiam, ad caput LXIII sic scribens: Septuaginta pro וַיִּשְׁלַח, id est tribulatus, legentes alio puncto וַיִּשְׁלַח, id est legatus, atq; repetentes per hebraismum negationem, quæ præcessit, vertunt, non legatus, neq; angelus, sed ipse Dominus salvavit eos: eò quod diligeret, & parceret eis, ipse redemit eos. Pari modo nostram versionem explicat Sanchez. q. d. Non est tribulatus, nec angelus faciei ejus salvavit

eos; sed ipse Deus ob dilectionem suam. *Moses enim non contentus angelo duce, petiit, ut Deus ipse castra praeceperet & duceret in Caanan. idq; se facturum promisit Deus. Exod. 33. vers. 17.* Hæc illi Jesuitæ & communiter Complices Papistæ.

XLVIII. Sed, ut dixi, perversissima ista Papistarum glossata sunt, & non parum erronea. Etenim i. leviter contra publicam ecclesiæ Latinæ doctrinam pervertunt textum, quando opera divina illic expressa perperam denegant angelo faciei, cum ea omnia & textus ipse & universa historia, quam Propheta Esaias hoc loco recolit, celebratq;, ipsi signanter & graphicè assignet: Deinde graviter errant quoque, quando ex præconcepta falsa opinione de angelo creato, quem hoc loco temerè supponunt, ac si talis sit angelus faciei jehovæ, sua commenta in ferre in textum malunt, quàm ex eo sensum eruere genuinum: Tertiò, temerè ac sine ratione verba textus sic detorquere atque corrumpere saragunt, ut particul. *Non*, non, inferant. Hæc enim nec *σῶμα* nec *ὁ θεὸς τῆς γὰρ φῶς*, non contextus, nec coherrentia verborum postulat, nec regula illa de repetitione particulæ, *non*, perpetua est, aut tam crudè & simpliciter ponenda, ut vel ex hoc ipso capite Esaiæ vers. præcedente videre licet, quando scribit Esaias, *fili non mentientur, & fuit ejus servator.* Item Esa. LX. v. 18. *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, Vastitas & contritio in terminis tuis, & vocabis salutem, &c.* Talia passim vel innuera occurrunt. Sic Gen. IV. v. 5. legitur, *Deus ad oblationem Caini non respexit, & iratus est Cain valde, conciditq; vultus ejus.* Ubi certè regula illa & repetitio particulæ, *non*, locum non habet. Idem judica de præsentis loco. Rectius proinde vetus Latina versio, quæ papicolis authentica est, legit sine repetitione particulæ *Non*, & affirmativā retinet, eamque sic exprimit, *Et angelus faciei ejus salvavit eos, &c.* Unde Emanuel Sa a in suis notis benè monet: *secundum nostram lectionem Christus intelligendus angelus seu magni consilii.* Quam expositionem & versionē ecclesiæ Latinæ prensat laudatque Hugo Cardinalis in postilla super Esaiam, & angelum faciei jehovæ exponit de angelo Dei patris, nempe de filio, qui postmodum venit quoq; & à Patre missus in carnē salvavit eos: *in omni, ait, tribula-*

bulatione eorum Deus ipse est tribulatus, in omnibus miseriis nostris compassus est, mittens filium suum in carnem, qui omni genere miseriarum nostrarum afflictus est vel sustinendo, vel compatiendo, quia filius omnes tribulationes nostras, quæ eum decerent, suscepit, Vide Hebr. II. v. 17. Ubi dicitur, debuit per omnia fratribus suis similari, ut misericors fieret, ite ad Hebr. 4. v. 15. tentatus est per omnia pro similitudine absq; peccato. Et sic angelus faciei ejus salvavit eos, angelus, nempe magni consilij. &c.

XLIX. Huc faciunt, quæ Masius Papista haut ignobilis in commentario super cap. 5. Josuæ docet, proditque ex Rabbi Mose Gerundensi, Hebræos quoque Doctores faciem Dei & angelum faciei jehovæ interpretari atq; exponere de Christo, angelo fœderis, id quod D. Wellerus Im Wegweiser der Gottheit Christi n. 26. p. 78. non immeritò notat, laudatque. Der Engel/sagten sie / so wir die Wahrheit sagen wollen / ist der Engel der Erlöser von welchen geschrieben steht / mein name ist in ihm. Eben der selbe Engel / der zu Jacob sagte: Ich bin der Gott zu Bethel der Engel / von dem geschrieben steht: und Gott rufte Mosen aus dem Busch. Er wird aber ein Engel genennet / dieweil er die Welt regieret. Denn es steht geschrieben: Es hat uns der Herr / der Jehovah aus Egypten geführet. Uber das so steht auch geschrieben: der Engel des angesichts Gottes / der für ihm ist / half ihnen: Nemlich der Engel / so da ist Gottes angesicht / von dem geschrieben ist: Mein angesicht sol für dir hergehen: und endlich. Er ist der Engel von dem der Prophet saget: und bald wird zu seinem tempel kommen der Herr / den ihr begehret. Der gleichen setzet er uber das 33. cap. Exod. Atqui facies Dei ipsum Deum significat, quod apud omnes interpretes est in confesso. Das angesicht Gottes aber ist Gott der Herr selbst / wie alle Ausleger solches bekennen. Und halt hernach: Mein angesicht sol für dir gehen / das ist /  
Der

der Engel des Bundes/ dessen ihr begehret/ in welchen mein  
angesicht wird gesehen werden. Quæ omnia dicto loco tradit  
Masius, eaque Analogiæ fidei congrua esse censet. Præterea  
Jesuita Salmeron disertè scribit disput. LXXVII. super. i. Cor. X.  
Credendum est, fuisse Christum illum angelum, qui præibat I-  
fraëlitis, & Mosi primò visus, qui Exod. III. & sæpius jehovah  
vocatur. Item Jesuita Pererius in Comment. super Genesin  
cap. 32. notat, *angelum istum, qui apparuerat Patriarchis, Jaco-  
bo, exponi à sanctis Patribus de Christo, & Theodoretus. quidem id  
ipsum probare conatur* (nempè angelum istum esse Christum) *ex  
eo, quod Exod. III. v. 3. in textu angelus dicat, sum qui sum. v. 14.  
quod in solum Deum convenit, & Christo tribuitur Apoc. 1. v. 4. 8.  
ii. Et hujus sententiæ fuerunt Justinus, Tertullianus, Hilarius, Am-  
brosius, Chrysostomus, &c. Sed satis de Papistis.*

L. Calviniani porrò non parum & ipsi circa doctrinam de  
Angelo faciei Jehovæ dissentiunt. Oecolampadius, Musculus, a-  
lijq; suspicantur, fuisse creatum quendam primarium angelum,  
ut supra ex Marlorato audivimus, qui verba eorum producit in  
Commentar. sup. Esa. 63. v. 9. Alij verò non pauci agnoscunt &  
apertè fatentur, angelum faciei jehovæ esse Christum. Quin Cal-  
vinus ipse multis in locis profitetur, & vehementer inculcat,  
Christum & rectè dici, & reverà esse angelum illum, qui judæos  
ex Ægypto liberavit, deduxitque in itineribus per deserta. Et  
quidem de angelo Redemptore, quem Patriarcha Jacob Gen.  
48. v. 16. invocat, ut benedicat filiis josephi, sic scribit in  
*Calvinus de angelo In-creato.* comment. super Genesin ad cap. 48. pag. 301. *Necesse est Christum  
intelligi, qui angeli titulo non temerè insignitur, eò quod perpetuus  
fuerit Mediator.* Et Paulus i. Corinth. cap. 10. v. 4. testatur,  
fuisse angelum illum, qui dux & præses itineris fuit veteri populo.  
Nondum quidem missus à Patre erat, ut suscepta carne nostra  
propiùs ad nos accederet, sed quia semper vinculum fuit con-  
junctionis hominum cum Deo, nec aliter, quàm per ipsum Deus se  
olim patefecit, meritò vocatur àgelus. Adde quod Patrum fides  
in futuram ejus missionem intenta erat. Angelus ergò fuit,  
quod jam tunc radios suos funderet, ut ipso Mediatore sancti  
Deo

Deo appropinquarent. Semper enim longius inter Deum & homines dissidium fuit, quam ut sine mediatore quicquam communicationis esse posset. Idem inculcat in Comment. super Exod. cap. 3. pag. 16. Videndum, inquit, quisnam fuerit hic angelus, qui paulò post non modò se Jehovam nominat, sed gloriam sibi vindicat æternæ & unicæ divinitatis. Etsi autem excusabilis est illa loquendi ratio, quod angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso injunctas, quia tamen notum est ex pluribus locis, præsertim ex primo Zachariæ capite, inter angelos statui unum Principem & caput, qui aliis imperat: rectè senserunt veteres Ecclesiæ Doctores, æternum Dei filium ita vocari, respectu personæ Mediatoris, quam licet verè demum una cum carne suscepit, figuram tamen gestavit ab initio. Et Paulus hujus mysterii nobis idoneus est interpretes, qui palam asserit, Christum fuisse ducem populi in deserto. Quanquam ergò tunc, propriè loquendo, nondum nuncius patris erat, prædestinatio tamen ad officium jam tunc ita vigeat, ut patribus sub hoc habitu cognoscendum se exhibuerit. Nec sanè alia unquam Sanctis fuit communicatio cum Deo, quàm per mediatorem promissum. Itaque nihil mirum si æternus Dei sermo, unius cum Patre Deitatis & essentiæ, nomen angeli mutuatus sit futuræ legationis respectu. Eadem passim repetit, edocetque, utpote ad cap. XIII Exod. pag. 74. Cæterùm paulò post Moses eundem Angelum vocavit, cui nunc adscribit æterni DEI nomen. Et meritò: *quia non nisi per manum unigeniti filii sui tunc Israëlitas duxit cœlestis Pater.* Item, cap. 14. ibid. pag. 78. Porro qui antè vocatus est Jehova, hunc jam nomine *Angeli* designat Moses: non tantùm quia Angeli, qui DEUM repræsentant, ejus nomen sæpe mutantur, sed quia *dux ille populi, unigenitus erat DEI Filius*, qui postea in carne manifestatus fuit, sicuti ex Pauli autoritate docuit. Nec non in *Explicatione* cap. 23. pag. 130. Quid longa disputatione opus est, quum jam antè aliquoties facta fuerit mentio *Angeli Liberatoris*? Jam quia hoc fixum esse debet, non haberi sermonem de homine mortali, memoria tenendum est, quod antè diximus, non quemlibet Ange-

F

lum

Constans  
Calvini doctrina de  
angelo in-  
creato.

lum designari, sed omnium *Angelorum principem*, quia & idem semper fuit caput Ecclesiae. In qua re sufficere nobis debet Pauli auctoritas, dum *Corinthios admonet, ne tentent Christum*, sicut *tentarunt Patres in deserto*. Et hoc ex magnifico elogio colligitur, quod paulò post subjiciet *Moses, nomen DEI fore in medio ejus*. Quod etsi vulgò leviter prætereunt, ego tamen magni ponderis esse arbitror. Præterea *super cap. 33. Exod.* Verba textus; *Facies mea præcedet*, sic exponit: Et sanè quum idem Angelus, quem antè castris præfecerat, munus gubernandi populi obierit, inde certè probatur æterna Christi divinitas. Particula hæc, *Facies mea præcedet*, tantundem valet, ac si dixisset, *Sic te præcedam, ut verè sentias me ipsum tibi adesse: ac si in speculo faciem meam cerneres tibi ante oculos positam*. Id verò quum in Christo impletum fuerit, sequitur *DEUM esse æternum, cujus gloria, imperium & Majestas creaturas omnes supereminet*. Item *sup. cap. 20. Num.* sic commentatur: Porro etsi Angeli castra metantur in circuitu servorum DEI, & certum est, plures Angelos salutis populi fuisse ministros: *Angelum* tamen præcipuè designat, qui antè sæpius vocatus fuit *Jehova*, & in quo perfectè refulsit DEI majestas. Eum verò fuisse Christum docet Paulus. Huc denique facit, quod in *Comment. super Lib. Josue cap. 5. pag. 23.* scribit, docetque: Diximus apud *Mosen* sæpe nomen *Jehovæ* adscribi Angelo præsidi: qui haud dubiè unigenitus erat DEI Filius: Nempe quia & verus est Deus: & tamen in persona Mediatoris per dispensationem, Deo inferior. Jam quod docent veteres libenter recipio, dum apparuit *olim Christus in forma hominis*, præludium fuisse mysterii, quod deinde fuit exhibitum, quando manifestatus est in carne Deus. Cavendum tamen, ne imaginemur Christum tunc induisse carnem: quando non legitur *Filium suum misisse Deus in carne ante plenitudinem temporum: deinde quatenus homo est Filium Davidis esse oportet. Verùm ut apud Ezechielem legitur, similitudo hominis durat at fuit*.

LI. Hæc omnia Calvinus dicto loco disertè proponit, inculcatque, quæ eum saltem in finem hic adscribere placuit, ut ejus complices & cordatiores inde subodorarètur, quid de Angelo



gelo Faciei Jehovæ imposterum statuere rectius velint, debeant-  
que. Certè Angelus Domini est is ipse, qui deduxit Israëlitas  
per deserta, ceu dux populi & præses itineris, uti Calvinus d. l.  
loquitur. Hic verò cum sit Christus, uti rursus Calvin. multis  
rationibus & ex 1. Corinth. 10. præcipuè comprobatur, conclu-  
dendum omninò est, quod Christus sit Angelus Faciei Je-  
hovæ.

LII. Calvino in omnibus adstipulantur Biblia Belgica,  
ut legere licet cap 3. Exod. v. 26. cap. 13. v. 21. cap. 14. v. 19. cap. 23.  
v. 20. Josue 5. v. 15. vel cap. 6. v. 1. Et quidem de Angelo Faciei  
Jehovæ in notis super Esaia 63 sic scribunt: De Engel de  
voor syn aengesichte is die voor hare Salighendi sorghe draegt &  
Christus. Exod. 23. v. 20. &c. item Tremell. & Junius ibid.  
v. 9. num. 22. Angelus iste est Christus mediator Dei & hominum,  
de quo Exod. 23, 20. Propterea autem Angelus Faciei appella-  
tur, tum quia tanquam Sacerdos æternus ministrat coram fa-  
cie Dei & intercedit pro nobis, atq; adeò est in sinu Patris Johan.  
1. v. 18. tum quia nobis est à Patre imago Dei invisibilis. Coloss. 1.  
v. 15. quem qui vidit, vidit Patrem, Job. 14. v. 9. Similiter & Pesca-  
tor Angelum Faciei Jehovæ exponit de Christo, quamvis in  
eo graviter erret, quòd eum faciat causam ministram libera-  
tionis ex Ægypto. Rectius Exod. 23. v. 20. docet: Angelum il-  
lum esse Christum: quem supra c. 13. 30. nominavit Jehovam Angelus  
autem hic & alibi dicitur, quia à Patre missus fuit. Vid. Gen. 48.  
v. 16. Hæc sanior Calvinistarum doctrina est, quam omninò  
hic tenendam autumamus, & reliquis heterodoxis, nec non  
hodiernis Novatoribus opponendam duximus.

LIII. Hactenus ergo ita constat satis, quid Papistæ pari-  
ter & Calvinistæ de Angelo Faciei Jehovæ tradant, & quomodo  
nonnulli veram de eo quoque profiteantur, inculcentque do-  
ctrinam. Quæ propterea paulò prolixius inducere volui,  
tùm ut adversarii propriis domesticis testimoniis confundantur  
vehementius, & redarguantur apertius, tum ut Novatores ho-  
dierni videant, oculosque aperiant tandem, manibusq; quasi  
& pedibus palpent, quam temerè agant, quam perversè & per-  
peram doceant, cum vesanis quibusdam Papistis & Calvinistis

Biblia Belgi-  
ca de angelo  
increato.

Piscator.

imperitioribus, scriptitantes & declamitantes, *Christum nuspiam absolute vocari Angelum*, & *Angelum Faciei Jehove fuisse creatum quendam Angelum*. Profecto dubia omnia perversa & prava dogmata, quæ hæc in causâ, sive à Papistis, sive à Calvinistis hæctenus opposita fuere, vel aliàs sequius traduntur, nec non ab hodiernis Novatoribus perperam inducuntur, dissolvi inde ex facili poterunt, atq; enodari planius.

Origo errorum de angelo faciei Jehova.

Photinianorum dogmata.

Crellius.

LIV. Cæterum omnes ejusmodi errores, quos hic sive Papistæ, sive Calvinistæ, sive complices Novatores hodierni fovent traduntque, *hæresin Photinianorum* redolent, uti supra præoccupavimus, quam tam eleganter exprimunt, effigiantque, ut nec ovum ovo similis esse queat. Illi videlicet damnati hæretici, ut *fundamenta fidei Catholice de Divinitate Christi Filii Dei* fortius destruerent, & argumenta Sanctorum Patrum, quibus eam ex V. T. adstruebant, magis magisque eliderent, eluderentque vehementius, impudenter infestare atque impugnare cœperunt catholicam Doctrinam *de Angelo increato*, & contra disputarunt acriter, contenderuntque, 1. Christum nec uspiam in divinis literis V. T. absolute vocari Angelum, nec esse illum Angelum faciei, de quo Esaias cap. LXIII. loquitur, sed hunc creatum quendam fuisse Angelum 2. uti & istum, qui apparuit Mosi in rubo ardente *Exod. III. v. 4. 6.* qui que deduxit Israëlitas per desertam, legemque promulgavit. 3. Angelo isti creato tribui nomē Tetragramaton, Jehovah, ceu legato Dei, cum personam Dei aliquâ ratione sustineat, sicque eum alia quoque nomina divina sibi assumere, ob officium & personam, quam gerit. Quam ob causam & opera divina & axiomata divina, gloria, cultusque divinus & adoratio religiosa soli Deo competentia, non raro Angelis quoque creatis attribuuntur & deferantur. *Observatum fuit*, inquit Volckellius lib. 1. de Vera Relig. cap. XI. pag. 79. *à viris doctissimis nomen Jehovah, ut & cætera Dei propria, angelis tribui, ipsius personam aliquâ ratione sustinentibus, idque absolute, ac sine ullâ positum adjedione.* Item Crellius lib. de Deo Patre: *Nonnunquam, scribit, Angeli, Deo ita volente, ipsius personam assumunt, & tunc quodvis ipsius nomen & ipsi sibi tribuunt, & ab aliis sibi tribui pati-*

untur.

antur. Item Enjedinus in Explicat. Loc. Vet. Test. quia legatus, inquit, legantis nomen & personam sustineat, non ergò mirum si titulum Domini sui gerat, & habeat servus. Hæc, inquam, ita docent Photiniani hæretici.

LV. Ac primò quidem, ut ordine quædam saltem hic enarremus, insigniter huc facit, quod Volckelius d. l. exsertè scribit: *Christus nusquam simpliciter appellatur Angelus, vel etiam Angelus Dei: sed tantum Angelus sive legatus fœderis, intellige novi.* Idem & alii socienni passim docent. Universam vero & totam Photinianorum causam operosè perorare conatur, Georgius Enjedinus, eamque in explicat. Loc. Vet. Test. cap. 3. ad Genesim 16. v. 13. prolixè ita proponit. *Scimus, inquit, nuntium & legatum non tantum nomen legantis, verum etiam personam sustinere, adeò ut que loquatur & que patiatur, non legatus, sed is qui eum legavit, loqui & pati dicatur. Atq; hoc modo legans & legatus non erunt diversi, sed prorsus unus & idem.* Unde eadem vox & actio sæpè tum Deo tum legato, seu Angelo tribuitur, ut Luc. I. ea que dixerat Mariae Angelus, Elisabetha v. 46. Deo tribuit: & ibid. cap. II. cum Angelus pastores allocutus esset, & eis Nativitatem Christi indicasset, v. 9. iidem pastores v. 15. se hoc à Deo didicisse fatentur. Sic Act. XII cum Angelus eduxisset Petrum ex carcere, ut scribitur v. 7. 8. tamen Petrus v. 17. se à Deo educitum asserit. Et Paulus Act. 27. ea, que ab Angelo audivit v. 13. Deo attribuit v. 15. & ne plura congeram; Qui Apostolos recipit, Christum recipit, Qui Christum recipit, Deum Patrem recipit. Qui Prophetas & Apostolos spernit, Deum spernit. Ex quibus & similibus apparet, sæpè legatum & legantem non tanquam duos diversos, sed ut unum individuum considerari & haberi. E. etiam hoc loco potuit idem & Angelus respectu sua nature, & Jehovah respectu officii appellari. Item, super cap. 3. Exod. sic differit: *Cum legatus personam legantis sustineat, quod facit & dicit legatus, non ipse, sed mittens facere, & dicere affirmatur, quasi ipse legans sit præsens, & ille ipse sit tam legans quam legatus. Imò aliquando fit, ut non legatus, qui adest, sed legans, qui abest, facere id dicatur, quod per legatum facit. Ut non est dubium Apostolos à Deo esse legatos, & tamen Christus dicit Matth. 10. v. 20. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquitur.*

Volckelius.

Enjedinus.

in vobis Joban. 14. v. 23. Sermonem, quem audistis, non est meus, sed  
ejus, qui misit me, Patris. Non est ergo absurdum personas legan-  
tis & legati permiscere, indifferenter usurpare, atq; dicere eundem  
& legatum & legantem.

Smaltzius.

LVI. Idem inculcat Smaltzius, & operosè disputat contra  
D. Frantium: Christum non esse Angelum, qui Patriarchis  
sanctisq; Dei viris sub V. foedere apparuit, & Angelum Faciei  
Jehovæ Esa. LXIII. esse creatum Angelum, qui sic dicatur, quòd  
sit missus à Deo, vel unus ex Angelis ejus, qui solent in oculis  
illius stare expectantes quid jubeat: cum quo etiam faciat  
Calvinus, qui ita super hunc locum commentetur: Angelus  
Faciei, hoc est, quem emittit Dominus à facie sua, &c. Item, paulò  
pòst: Et sanè mirum est, eos qui credunt, Christum esse eundem De-  
um, qui Pater est, per Angelum Faciei Dei, ipsum intelligere, cum  
hoc procul dubio aliquid longè minùs Deo denote, & ex eo, quòd  
quis Angelus faciei Dei nominatur, apertissimè concludi possit, eum  
nullo modo esse Deum eundem, cujus faciei Angelus est, nisi forte quis  
suiipsius Angelus esse possit. Hæc ille. Item; fol. 15. Quid usita-  
tius est in Sacris literis eo, quòd aliquid jam Deo tribuitur, jam ali-  
is, per quos Deus aliquid efficit, diverso scilicet respectu & diversa ra-  
tione. Hoc modo Servator Populi Israëlitici dicitur & Deus  
& Moses & Othoniel & Jenojas & alii. Hoc modo servare dicun-  
tur & ii, qui alios docent viam salutis. Gemina prodit Socinus  
in Responsione ad libellum Jacobi Vujeki Jesuitæ cap. 3. p. 55.  
Haud immeritò suspicari quis posset, nomine Elohim Num XXI. v. 5.  
non significari illum unum Deum Israëlis, sed angelum, cujus ministe-  
rio Israelitæ educti fuerant ex Ægypto: quòd illos optimè scivisse, con-  
stat ex cap. proximè antecedente, id est, cap. XX. v. 16. ubi hæc ipso-  
rum sunt verba: Et quomodo clamaverimus ad Dominum,  
& exaudiverit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de  
Ægypto. Hujus Angeli fit etiam aperta mentio in ipsa historia  
Exod. XIV. v. 19. Et paulò pòst: pag. 56. Certè loquendo contra  
Angelum illum, contra ipsum Jehovaham loquebantur: non quòd ille  
Angelus esset revera ipse Jehovah, ille unus Deus Israëlis: sed quòd  
ejus legatus esset, ejusque personam sustineret. Est enim, ut ex  
Stephani verbis aperte constat, hic idem ille Angelus, qui Mosi in rubo  
appa.

Socinus.

*rens dixerat: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: quiquè ibidem in historia Jehovab est appellatus.*

LVII. Audiatur denuò Volckelius. Sicut ille negat Christum absolutè vocari Angelum vel Angelum Dei, sic quoque ex illâ suâ hypothese disputat, ibidem pag. 82. Christum sub veteri foedere nusquam legi missum. *Et què legamus id, scribit, quòd fieri nullâ ratione potuit? vel quia, antequam nasceretur, ne extare quidem potuerit; vel quia, ut isti censent, Deus fuerit summus, qui nuncius ac legatus alterius esse nequit, nec ministerium obire potest ullum. De summo ministrant omnia, ipse nulli: nuncios mittit, à nullo mittitur. alioquin summus esse, atq; adeò etiam penitus esse desineret. Legati enim est, mandatis ab altero acceptis, ejus negotia curare, & jussa exsequi. Quapropter, etiamsi tandem obtineretur, iis in locis, ubi Angelum legimus Jehovam appellatum, Christum esse intelligendum; non esset tamen statuendum, eum ipsummet fuisse Jehovam: sed ex Angelorum numero aliquem, qui Dei summi personam sustinens, nomen etiam ejus usurparit, cum inter se pugnare videamus, angelum esse, & quidem Jehovæ, qui unus tantum est, & esse ipsummet Jehovam.*

LVIII. Hæc ita Photiniani tum in dictis locis, tum alibi passim operosè inculcant & vehementer propugnant. Unde haut obscurè patet, quorum tibias inflent moderni Novatores, & quàm bellè conspirent cum pessimis hæreticis, & quàm atroces damnatos errores in scenam reducere & ab orco revocare non dubitent. Dispiciant illi ipsimet, & advertant probe, quorum causam impræsentiarum agere, quorum patrocinia suscipere gestiant? Sed & deliberent secum, ostendantque quomodo se suspicionibus errorum Photinianorum, nec non criminibus & stigmatibus hæreticorum exsolvere velint. Certè ex eorum pharetrâ & loculis singula deprompta sunt spicula, quibus Catholicam doctrinam, de Angelo increato, quam unanimi hætenus consensu prisca pariter & succedanea orthodoxa Ecclesia constanter docuerat, infaustò ausu confodere satagunt. Quanquam verò ea omnia, quæ tum olim hæretici, tum hodieque eorum complices Novatores contra orthodoxam

doxam Ecclesiae Catholicae doctrinam direxerunt jacula, saevisque lacertis intorserunt, signisque hostilibus evibrarunt, non semel nec leviter in orthodoxorum scriptis protrita pariter & profligata, haecenus fuerint; Attamen ut magis magisque appareat, quam enormiter atque atrociter hic erret Calixtus cum suis sociennis, breviter haereticas Photinianorum imposturas, *Φλυαρίας* & *Strophas*, quibus doctrinam nostram *de Angelo increato* eludere annititur, sub incudem revocabimus, ea saltem lege ac ratione, quam pro instituto nostro id convenienter fieri poterit, enodabimus, nec non in gratiam Calixti refutabimus, praesertim cum sic unam fideliam diversos pariter dealbare parietes commodè possimus.

LIX. Atque illud quidem quod primo loco de appellatione angeli controversetur, facile dirimitur ex his, quae supra contra Calixtum edisseruimus. Quandoquidem frivolum planè est atque falsissimum, quod obganniant & desperatae suae causae praetextunt Photiniani: *Christum videlicet nusquam simpliciter vocari Angelum, nec Angelum Dei.* Hoc inquam, liquido falsissimum est, & τὸ ἐν δεξιῇ λαμβάνει, manifestissima in eo committitur petitio Principii. Profectò Angelus ille, qui toties signanter absolutè & emphaticè dicitur Jehovah, iudex universae terrae *Gen. XVIII. 13. 17. 19. 22. 25. &c.* Deus Israël *Gen. XXXII. v. 28.* Dominus exercituum *Osee XII. v. 4. 5.* Deus Patrum nostrorum, Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi, *Exod III. v. 4. 6. 14. 15. 16. &c.* Ille, inquam, angelus nequaquam est creatus quispiam angelus, sed verus Deus Israël, ut ex contextu, ex integra historiae descriptione, denominationibus & attributis, quibus insignitur, palam constat, & jam ordine demonstrabitur. Christus ergo iste Angelus est, aeternus Dei Filius, cum ut in concessio atque confessio est, Deus Pater nunquam dicatur Angelus, uti nec Spiritus Sanctus. Unde Apostolus Paulus disertè ait: *Christum fuisse illum Jehovahm & Angelum, qui praecessit castra Israelitarum, & contra quem murmurarunt I. Cor. X. v. 4. 9. Num. XXI. v. 5.*

LX. Neque verò Angelus ille ob officium legati dicitur Jehovah, Dominus Deus, ut ea saltem ratione sic nuncupetur, quòd

quod Domini legantis personam sustineat, indeque & nomen & titulum Domini gerat, nec non axiomata quoque divina soli Deo propria, & alias incommunicabilia, inde sortiatur, ut Photiniani (utinam non & alii Novatores hic vestigia hæreticorum premant,) hic comminiscuntur, somniant, delirantque. Præterquam enim, quod insolens & inauditum prorsus sit, legatum sui principalis titulum sibi vindicare adeo, ut directè ab aliis dicatur Rex, sive Imperator, sive Princeps &c. Vel etiam ipse talem se jactitet, ut dicat, *Ego sum Princeps, Rex, Imperator &c.* Impræsentiarum illud locum prorsus non habet, nec ullum meretur calculum. Hic enim Angelus, de quo nunc exponimus, non tantum representat personam veri Dei, aut ejus vicem supplet, ut Antagonistæ cavillantur, sed revera est ipse Dominus, præsens atque conspicuus: est Jehovah, Deus noster, verus Deus Israël. Nimirum hic ipse Dominus est, qui præsens alloquitur Mosen ex rubo ardente *Exod. III, 4. 6. 11.* acclamatque; *Moses, Moses, ne appropinques huc, solve calceamenta tua, quia locus, in quo stas, terra sancta est,* nempe ob Jehovah præsentiam, ut *Jos. V, v. 15. Gen. XXVIII, v. 17.* Quem tremendum & sanctificandum Dominum, præsentem agnoscit & veneratur Moses, timetque respicere יְהוָה אֱלֹהֵי הַיְהוּדִים *ibid. v. 6.* qui præsentiam suam immediatam signanter attestatur *Exod. III, v. 16. cap. IV, v. 1. 8. 12. &c.* nec non confirmat insigniter, tum proprio suo nomine, quo vult agnosci, celebrari ac discerni ab omnibus aliis fictis Diis, *Exod. III, v. 6. 13. 14. 15.* tum operibus verè divinis *v. 7. 8. & seqq.* tum signis & miraculis verè divinis *Exod. IV, vers. 2. 3.* tum promissis verè divinis. *Exod. IV, v. 11. 12. 15.*

LX. Porro hic ipse Angelus est Dominus ille, qui celebratur Dominus in rubo *Deut. XXXIII, v. 16.* Dominus Israël, cujus furor dicitur accensus, *Exod. IV, v. 14.* non angeli alicujus, sed Jehovah Dei vocantis furor dicitur ibi accensus, qui loquitur cum Mose, promittitque Aaronem fratrem, protectionem, miraculorum narrationem atque eventum. Cujus promissa & miracula Moses refert, exponitque populo *Exod. IV, v. 28. 30.* & contestatur se Dominum ipsum vidisse, visitatorem

G

&

& redemptorem populi sui, quem etiam propterea adorant, *Exod. 4. v. ult.* Cui sacrificia juxta Dei voluntatem decernant, *Exod. 17. v. 18. cap. V. v. 13. &c.* Hic ipse Angelus Mosi in apparitionibus hucusque conspectus & populo annunciatus, est Dominus ille, qui porro locutus est cum Aarone ac Mose, ac tot stupenda miracula fecit in Ægypto, populumque Judaicum universum magno brachio tandem eduxit ex Ægypto, & postmodum per deserta deduxit. *Exod. XIII. v. 21. cap. XIV. v. 18. 19.* Hic ipse angelus, de quo Dominus ait: *Exod. XXIII. v. 20. 21. Ecce ego mitto Angelum coram te, ut custodiat te in via, & introducat te in locum, quem preparavi. Cave à facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum: nequè enim parcat pravaricationi vestra, nomen meum in medio ejus.*

LXI. Quæ omnia, ut spero, abundè satis evincunt, Angelum illum illic nominatum non esse creatum quendam Angelum, sed Jehovah ipsum, verum Israelis Deum, uti sanctè contestatur ipse dicitque: *Ego Deus Patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Jacobi,* quem propterea tantâ veneratione prosequitur Moses, ut faciem suam præ ipso abscondat, timeatque valdè *Exod. III. v. 6.* & rursus ait *אֲנִי יְהוָה* Deus ille ad Mosen *ibid. v. 14. Ero, qui ero,* dicesque Filiis Israël: *Ero, misit me ad vos,* qui est Jehovah, Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Et hoc est nomen ejus in seculum, & memoriale ejus in generatione & generationem *Exod. III. v. 15.* quod nulli creaturæ competit, nec ulli tribuitur unquam, sed hoc nomine separat se Deus ab aliis omnibus, qui non sunt verus Deus.

At hic ipse Dominus & Deus est Angelus ille, qui apparuerat Mosi in rubo ardente, ut supra modò audivimus, qui à Mose ibidem præsens videtur, & in prolixo colloquio agnoscitur Deus, & colitur. Quare creatus iste Angelus non fuit, sed verus Deus Israël. Profectò nullus unquam Angelus aut dixit, aut dicere ausit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Ero, qui ero, & hoc nomen est memoriale meum.* &c. Solus verus Deus iste est, qui sic loquitur.



LXII. Cæterùm turpiter confundunt Photiniani opera Dei *communis*, quæ aliis etiam attribuuntur Creaturis, non Angelis modò, sed & variis rebus creatis, cum iis, quæ soli Deo propria sunt: confundunt opera Dei *αὐτοπροσωπία καὶ ἀνοργα- να*: quæ sunt *ἀκοινώνητα* cum iis, quæ sunt *ὀργανικὰ καὶ ἀλλο- τρώσιμα*. Hæc creaturis quoque convenire, illisque verè attri- bui, ceu causis organicis sive instrumentalibus dubium nul- lum est. Talia sunt illa, quæ Enjedinus, Socinus, Sivaltzius, aliiq; Photiniani hæc in causâ opponunt, quæ simul & Deo & Angelo attribuuntur, ut una & eadem vox & actio ambobus convenient, utpote, quòd non Deus tantùm, sed & Angelus dicatur loqui, facere, pati, annunciare, alloqui, educere Petrum ex carcere, liberare, ex periculis & afflictionibus eripere, seu educere po- pulum ex Ægypto, deducere in terram Canaan, mittere nuncios, ef- ficere aliquod opus &c. Item, pati contradictionem populi, mur- murationem, recipi &c. De hisce aliisque similibus dubium nullum est, quin ejusmodi opera Deus efficiat, per creaturas ceu organa sua, quòdque ea propterea etiam creaturis & an- gelis attribuuntur. Frustra ergò & impertinenter ea indu- cuntur ab Antagonistis, & ineptissimè opponuntur. Alia verò longè diversa Dei opera, *merè divina*, quæ Deus per se *αὐτοπροσωπῶς* exequitur, quòdque ipse sibi soli *αὐτοκράτορι- κῶς καὶ ἀπεξουσιῶς* vendicat. Talia sunt; ex auditu gemituum, suspiriorum, precum ardentium, exactissima cognitio & visio affli- ctionum, calamitatum & affectuum totius populi, commiseratio verè divina, Providentia & cura Israelis, ceu proprii populi, ejusdemque visitatio & redemptio clementissima & gratiosissima, inclinatio cor- dum Ægyptiorum, plenissima futurorum prævisio, cordis inspectio & scrutatio, immediata Mosis & Aaronis vocatio, ordinatio, actio- numq; singularum moderatio felicissima, & exitu miraculosissima, copiosissima populi benedictio, & honorum omnium multiplicatio &c. Quæ opera & per se verè divina sunt, & sic insuper in historiâ sacrâ describuntur & determinantur, ut palàm autorem De- um ostendant, sistantque præsentem, nec non *αὐτοπροσωπῶς* loquentem exhibeât. At verò illa omnia sibi ipsi vendicat An- gelus iste, de quò agitur, uti supra thes. LIX. LX. insinuavimus,

Opera Dei  
communis  
discernenda  
sunt à pro-  
priis.

Propria Dei  
opera &  
*ἀκοινώνητα*

Adoratio  
Angeli &  
cultus reli-  
giosus.

& prolixè legere & videre licet ex historiâ descriptâ *Exod. III. v. 7. 8. 9. 10. & seqq. Exod. IV, 2. 3. 4. &c.* Ergo Angelus iste non est creatus Spiritus, sed revera Deus ipse, verus Deus Israël, qui ibid. *αὐτὸν ἐγώπωμαι* loquitur cum Mose, & peragit sua opera.

LXIII. Accedit veneratio religiosa, quâ iste Angelus devotissimè afficitur à Mose & toto populo. Invocatio seu adoratio & cultus verè divinus, prout describitur *Exod. III. v. 5. 6.* Moses jubetur calceamenta solvere in signum honoris & reverentiæ, Deo præsentem exhibendæ, qui locum istum sanctificabat. Abscondit quoque Moses faciem suam præ timore erga Dominum conspectum. Totus populus adorat istum Angelum clamore magnò, *Exod. III v. 7. 9.* eiq; sacrificat *v. 16. 17.* Quin & porrò ab eòdem Angelo Moses petit benedictionem *Deut. XXXIII. v. 16.* pro posteris Josephi, ut beneplacitum habitatoris rubi super eosdem veniat. Hic certè habitator rubi non est Angelus creatus, qui Dei personam repræsentet, sed est Dominus ipse, à quò solò precatur Moses benedictionem, gratiam & favorem.

LXIV. Huc facit, quod legitur *Gen. XLVIII. v. 16.* de Angelo, Redemptore Jacobi, à quò & ipse haut absimiliter petit benedictionem, pro filiis Josephi, nepotibus suis. Neq; enim illic simplex duntaxat votum continetur, uti Calixtus opinatur, & nescio unde aut ex quò Ecclesiæ Utopicæ consensu novum istud suum Commentum & delirium hauserit, sed religiosa ea est adoratio angeli, quando ibid. Patriarcha & Sacerdos Jacobus sic benedicit filiis Josephi: *Deus qui pavit me à tempore meo usq; in presentem diem: Angelus ille, qui me eripuit ab omni malo, benedicat pueris istis. &c.* Hæc, inquam, religiosa Dei patris, & Angeli Redemptoris adoratio est, quâ Patriarcha Jacobus in Sacerdotali benedictione à Deo pariter & angelo petit, uberrimam pro nepotibus suis benedictionem, sicuti & eandem repetit & ab omnipotente Deo religiosè vovet, *Gen. XLIX. v. 25.* Sicque per fidem benedicit *Heb. XI. v. 21.* Certè à Deo petit benedictionem *v. 15.* cum vero eandem in eodem precatationis actu pariter petat *v. 16.* ab Angelo Redemptore suo, *לְאֵלֵינוּ*. Profectò non possum non vehementer mirari & demi-

demirari prorsus insolentem Calixti Novitatem, & enormem perversitatem, quo œstro percitus, ab antiqua ecclesiæ Catholica doctrina recedere suscepit, quo spiritu vertiginis inductus fuerit, ut simplex votum in benedictione ista Sacerdotali Jacobæa comminisceretur. Quantum autem in Novo isto suo Commento erret Calixtus, ab aliis ostensum evidetumque satis est, præsertim à Dn. D. Dorscheo, tum in *judicio Theol. Argentoratens. Sect. III. cap. 11. pag. 54. 55. tum in Apologia ejusdem iudicii in causa Latermanni pag. 100. &c.* Dn. D. Weller im *Wegzeiger der Gottheit Jesu ex V. Test. pag. 126. 127. & seqq. num 35. nec non in der abwischung der unchristlichen Lasterung Calixti pag. 454. num. 100. pag. 456. & 457. & seqq.*

LXV. Nos hâc vice saltem ea in medium producemus, quæ hâc ipsâ in causâ ab antiquissimis Ecclesiæ Doctoribus & S. Patribus jam olim eruditè tradita & graviter inculcata, etiam contra hæreticos vehementer asserta fuere, præsertim cum ex iis tum pessima Calixti innovatio, & error crassissimus, tum nostræ doctrinæ veritas satis superque innotescere ac comprobari queat. Sic autem hanc in rem egregiè scribit S. Athanasius orat. IV. cōtr. Arian. Tom. I. p. 231. 232. Edit. Basil. An. 1556. *Quando Jacob in benedicendis nepotibus ad istum modum locutus est, Deus, qui au- luit me, &c. Angelus, qui liberavit me, &c. non tunc aliquē Angelorum creatorum, & qui naturâ Angeli erant, in unum copulavit tum creatore DEO, neq; omisso nutritio suo DEO ab Angelo benedictionem suis nepotibus postulavit, sed quia disertè locutus est de Angelo, qui illum ab omnibus malis liberaverat, satis præse- tit, non ex creatitiis Angelis aliquem sed Filium fuisse Patris, quem Patri in suis precibus consociavit, per quem Deus liberat, quos vult. Hunc enim magni consilii Patris Angelum noverat, nec alium nisi illum ipsum, qui benedicit & liberat ex malis, suis verbis expref- sit. Non enim ille sibi à Deo, nepotibus autem ab Angelo benedictionem dari voluisset, sed eundem illum, quem interpellabat; Non dimittam te, inquiens, nisi benedixeris mihi. Is enim erat Deus, ut verba Jacobi clarè testantur. Vidi Deum facie ad faciem, illum ipsum, inquam, precatus est, ut nepotibus benediceret. An-*

*S. Athana-  
sius de An-  
gelo Gen. 48.  
v. 16.*

*Gen. 32.*

geli enim DEI mandatis inservire, ac proinde aliquando progredi-  
 tur, ut ejiciat Amorrhæos, aliquando amandatur, ut tueatur po-  
 pulum in itinere. Ceterum illud ipsum quod fit, non est opus ejus,  
 sed DEI qui imperat & emittit eum, ejusdem quoque est, ut liberet,  
 quos voluerit liberari. Non igitur alius, quam ipse Dominus DE-  
 us fuit, qui ei apparens ita locutus est: Ecce ego tecum sum, con-  
 fervans te in via, quâcunque jeris, & non alius. Idem denuò ap-  
 parens repressit insidias Laban, interdicens Labani, ne cum Jaco-  
 bo verbis asperioribus ageret, neq; Jacob quenquam præter DEum  
 invocabat. Eripe me (inquiens) Domine è manibus fratris mei  
 Esau. Idem cum uxoribus verba conserens locutus est. Non  
 datum est Labani à DEo, ut malè faceret. David quoq; nullum  
 alium, quam Deum pro sui liberatione invocabat. Ad te Domine,  
 in tribulatione mea clamavi, & exaudisti me. Domine libera  
 animam meam &c. Postremò Paullus, Dominus me ex omnibus  
 liberavit & liberaturus est, in quem speravi. Porro non alius fuit  
 quam Deus, qui benedixit Abrahamo, & Isaac, & Jacobo. Isaac  
 quoque Jacobo in hæc verba benè precatus est, Deus meus benedi-  
 cat te, & augeat te, &c. & dabit tibi benedictionem Abrahamæ pa-  
 tris mei. Vides non alterius quam DEI esse benedicere aut libera-  
 re. Neq; alius fuit, qui liberavit Jacobum, quam Dominus, liberato-  
 rem autem Patriarcha invocabat, super nepotibus suis. Clerum  
 igitur est, Patriarcham non alium in suis precibus copulasse cum  
 DEo, quam verbum, (hypostaticum) quod Angelum ideò nomi-  
 navit, quia solus is est, qui Patrem revelat. &c. Hæc S. Athanasius  
 in Græca Ecclesiâ sic rectè docuit de Angelo increato filio Dei  
 qui est Christus Jesus, quem patriarcha Jacobus religiosè ado-  
 raverit, adeoque & in ipsum crediderit ceu verum Deum.

LXVI. Idem credidit, docuitque Latina ecclesia ut perquam  
 notum est ex S. Tertulliano antiquissimo Latinorum Patre qui  
 eandem fidè de Christo, angelo sæpius inculcat: Novatus v. opi-  
 nionem illam, quam Calixtus hodie ab orco revocare & inter-  
 polare non veretur, hæreticis (Simoniacis, Menandrianis, Ap-  
 pellatianis, ut Pammelius notat ibid. attribuit. Sic enim ille  
 in libro de Trinitat. cap. 15. scribit: Si aliquis hæreticus pertinaci-  
 ter oblietans adversus veritatem, voluerit in his omnibus exemplis  
 pro-

propriè angelum aut intelligere, aut intelligendum esse contendere, in hoc quoque viribus veritatis frangatur necesse est. Et paulò post infra c. 27. Non cessat scriptura Angelum illum (qui cum Jacobo luctatus fuerat,) DEum dicere, DEum Angelum pronunciare. Nam cum Manassen atque Ephrem filios Joseph benedicturus esset, his ipse Jacob transversis super capita puerorum manibus conlocatis, Deus, inquit, qui pascit me à juventute mea usque in hunc diem. Angelus, qui liberavit me ex omnibus malis benedicat pueros hos. Usque adeò autem eundem Angelum ponit, quem DEum dixerat, ut singulariter in exitu sermonis sui posuerit personam, de qua loquebatur, dicendo, benedicat pueris istis. Si enim alterum Angelum voluisset intelligi, plurali numero duas personas fuisset complexus, nunc unius personae singularem numerum in benedictione deposuit, ex quo eundem DEum atque Angelum intelligi voluit. Sed enim DEus Pater accipi non potest. DEus autem & Angelus Christus accipi potest. Hæc Novatianus adhuc Catholicus contra hæreticos. Attendat ea Calixtus, pensitet, indeque advertat, quàm suaviter conspiret cum hæreticis.

Latina Ecclesia de angelo increato.

LXVI. Sed & porrò audiamus Cyrillum Alexandrinum, qui lib. 3. Thesauri p. 244. non absimiliter ex eodem capite redarguit hæreticos, qui negabant Filium DEI esse dicique Angelum, cuius mentio fit in historia V. T. Si, ait: prophetico Spiritu decoratum hæretici fatentur & sanctum Jacob fuisse virum non negant, cuius gratia ita ipsum errasse contendunt, ut angelum Deo conjunxerit, & unà cum Deo posse benedicere putaverit? Nolint quæso ita sanctum virum illum vituperare, sed verum suorum verborum sensum inquirent, si sanctum fuisse illum arbitrantur: sin verò minimè id putant, cur authoritate ipsius ad confirmanda dogmata utantur? Sed nos nugis hæreticorum contemptis, Patriarchæ verba breviter exponamus. Spiritu ergo ille sancto ad veritatem dogmatum ductus, primò DEum orat, ut pueris benedicat, & simul etiã angelum, qui liberabat eum ex omnibus malis: ut per DEum patrem ipsum significaret, per angelum autem verbum patris. Non enim ignorabat, quia, nomen ejus magni consilii angelus est. Quod autem non Angelum (ut intelligunt hæretici) sed filium Dei significarit, inde patet, quòd cum dixisset Angelus,

sta

*statim addidit, qui meliberat ex omnibus malis. A verbis igitur ipsius consideremus, Deus ne ipsum à malis omnibus liberarit, an aliquis angelorum, qui sunt creati. Luctatus dicitur Angelus cum Patriarcha illo fuisse, idq; scriptura divina testatur: quem patriarcha tenuisse, dixisseq; ad ipsum dicitur: Non te dimittam, nisi me benedicas. Erat autem ille Deus in specie creaturæ cum Patriarcha luctatus, sicut ipsius patriarchæ voce apparet: Vidi faciem DEI. Hunc igitur Angelum, quem tunc vidit, orabat, ut pueros benediceret. Præterea, visus est (ut scriptura dicit) Dominus Deus Patriarchæ Jacob, & dixit ipsi: Ecce ego tecum sum, & custodiam te in omni via, quacumq; ieris. Deus igitur erat, qui liberabat ipsum, non angelus. Et rursus, quando Laban persecutus, deprehendit eum, tunc quoq; Deus ipsum liberavit, ut ipse uxoribus dicens testatur: Et non dedit, inquit, Deus Laban potestatem malè faciendi mihi. Et quando rursus frater Esau insidiabatur ei, non angeli sed DEI auxilium implorabat, dicens: Libera me Domine de manu fratris mei Esau, quia timeo ipsum Deus igitur ipse, hoc est, Filius Dei, nomine Angeli à Jacob in benedictione filiorum Joseph nominatur. Sed species quoque patris filius dicitur. Salvatoris enim verba ad Judæos hæc sunt: Qui me misit pater, ille testimonium perhibuit de me, cujus vos nec vocem unquam audistis, nec speciem ipsius vidistis, & verbum ejus non habetis manens in vobis: quia quem ille misit, huic vos non creditis. Si ergo qui non crediderunt verbo ex patre misso; nec vocem Dei audisse dicuntur, nec speciem ipsius, vidisse, nec verbum ipsius habere manens habitansq; in ipsis: perspicuum est, quod si missum ad illos filium DEI suscepissent, vocem quoq; ipsius DEI audissent, & speciem ejus vidissent, & verbum ejus habitans in eis habuissent. Omnia ergo hæc filius esse ostenditur, vox, species, & verbum patris: & si species est, patet quia etiam imago & character substantiæ genitoris, habens in seipso naturaliter illum, cujus character est. Verè igitur dicitur. Ego in patre & pater in me est: & ego & pater unum sumus. Idcirco quando Patriarcha Jacob cognominatus fuerat Israel, tunc (ut scriptura dicit) sol ipsi ortus fuerat, quando t'ansivit species DEI. Nihil certè aliud speciem Dei Scriptura ibi nominavit, nisi eum qui liberè, vereq; clamat: Qui videt me, videt*

Gen. 28. v. 15.

Gen. 31. v. 24.

Gen. 32. v. 11.

Job. 5. v.

Gen. 32. v. 1.

det

det & patrem: &, ego in patre, & pater in me est: &, ego & pater unum sumus. &c.

LXVIII. Sic ergo hæcenus Græca pariter & Latina Ecclesia constanter docuit, *Christum fuisse illum Angelum Redemptorem*, qui ab omni malo perpetuò liberaverat Jacobum, quemque Gen. XLVIII. pro benedictione nepotum suorum, Ephraim & Menasse, sollicitat, nec simplex tantum illic votum esse, quando Patriarcha Jacobus ait; *Deus & Angelus benedicat pueris istis*, sed religiosam adorationem, in quâ benedictionem istam à Deo pariter & Angelo petat; quodque propterea iste Angelus non possit esse creatus, quippe qualem Sancti Dei Viri & Patriarchæ nec adorent unquam, nec in sacris precibus Deo jungant, aut in unum cum vero Deo copulent, uti S. Athanasius loquitur.

LXIX. Vanissima proinde omnia sunt atque falsissima, quæ ibi Calixtus somniat de Angelo creato & nudo voto. Profectò S. Cyrillus ejusmodi commenta non immeritò nugis hæreticorum accenset. Missis ergo istis atque explosis, nos & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam hîc arctè tenemus, & porrò Calixto considerata propinamus, quæ B. Lutherus hâc ipsâ in causâ egregiè differit. Sic ille in *Commentario super Genesin* cap. XLVIII. pag. 693. pulchrè scribit: *Christus est GOEL noster, quem hoc loco Jacob appellat Angelum. Angelus seu Redemptor, qui omni jure potuit me redimere, & tueri ab omnibus malis, conscientia, legis, peccati, mortis, Esau fratris, & universis arumnis, quibus in vita mea conflictatus sum;* Et post: *Hic Angelum vocat eodem modo, quò supra post luctam dixit, Vidi Dominum à facie ad faciem. Nam hic Angelus Dominus ille seu Filius Dei est, quem vidit Jacob, & qui mittendus erat in mundum à Deo, ut annunciarer nobis liberationem à morte, remissionem peccatorum & regnum caelorum.* Et hic Angelus noster GOEL seu vindex est, qui justissimo jure nos asserit, & vindicat à potestate Diaboli, qui obnoxius est legi, propterea quòd occidit Filium Dei, jamq; lex & mors & Satan coguntur obmutescere, & victas manus porrigere victori & triumphanti Christo. Diligenter igitur observandum est, quod loquitur Jacob de Christo Filio, qui solus est Angelus seu mis-

Doctrina  
Græcæ &  
Latinae ec-  
clesiæ de an-  
gelo, Christo.

Lutherus de  
angelo in-  
creato  
Gen. 48.

*Sus, natus homo in tempore ex virgine Maria, non Pater, non Spiritus Sanctus. Discretè enim discernit tres personas, & tamen addit, benedicat pueris istis. Istud benedicere clarè tribuit soli Deo. Non dicit, benedicant, pluraliter, nec repetit, sed conjungit in uno opere benedicendi tres personas, Deum Patrem, Deum Pastorem, & Angelum. Sicut igitur hi tres unus Deus, & unus benedictor. Idem opus facit Angelus, quod Deus Pastor, & Deus Patrum. Ita hunc Articulum Trinitatis probè cognitum habuere Patres, quem nos hodie docemus. Et Jacob in eadem & perfectissima fide & verbo incedit super omnes cælos. Non ego, inquit, sed Deus per os meum benedicat pueris istis, Deus Patrum, Deus Pastor & Angelus, ille trinus & unus benedicat. Intellexit igitur Jacob, quòd Filius incarnandus & mittendus sit in mundum, quòd sit crucifigendus, & resuscitandus. Etsi non ita clarè hac pronunciat, sicut hodiè docetur, tamen satis significanter dicit, & alii quoq; qui crediderunt, hunc articulum non obscurè intellexerunt. Et post pag 694. Valdè igitur grandia & ponderosa hac verba sunt, quibus affirmat Jacob, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum benedicere pueris istis, & quod in Johanne inquit Christus, Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Item, sicut Pater suscitatur mortuos & vivificat, sic Filius, quos vult, vivificat. Id cum presenti loco pulcherrimè congruit. Vivificatio est opus solius Dei, quod fit volente & misere Deo. Jam ut Pater vult misereri & vivificare, ita & ego volo, ait Christus. Voluntas eadem est, & opus idem & tamen sunt tres distinctæ personæ. Ita Augustinus rectè dixit, opera Divinitatis ad extra sunt indivisa. Sic idem benedicere est Dei & Filii Angeli. Hac sancti Patres rectè intellexerunt & doctuerunt. Vides igitur excellentem cognitionem & fidem eorum, de quibus cum loquantur, nulla alia opera, sive œconomica, sive politica, nullum peccatum, nulla desperatio apparet, sed supra nubes & per aëra sublimes feruntur. Sic enim videmus Patriarcham Jacob ebrium & absorptum notitia Dei. Hæc Lutherus.*

LXX. Et hæc constans orthodoxorum sententia est, atque doctrina, quam & Philippus Melanchthon in corpore doctrinae Christianae Loc. Theol. de Filio Dei pag. 325. & 326. graviter inculcat. Universa, inquit, Scriptura Prophetica & Apostolica magno  
con-

Philippus  
Melanch-  
thon.



consensu præcipit Christum adorari & invocari, ac jubet in eum con-  
fidere: ergo tribuit ei potentiam infinitam, quòd ubià, astit, corda in-  
spiciat, exaudiat &c. Sic extant clarissima testimonia de invocan-  
do Christo, & de fiducia in Christum, etiam in V. T. utpote Esa. XI.  
v. 10. In die illa radix Jesse stabit in signum populorum, gentes  
ipsum deprecabuntur, Psal. XLV. v. 12. Concupiscet Rex deco-  
rem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, & adorabunt eum.  
Psal. LXXII. v. 5. Timebunt eum donec erunt Sol & Luna,  
Item: deprecabuntur coram ipso semper: Et paulò pòst: eò  
adducit quoq; precationem Jacobi Gen. XLVIII. v. 16. Deus Abra-  
ham & Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pue-  
ris illis. In his & similibus Testimoniis (ait Philippus) dicitur de  
invocatione perpetua Christi, etiam cum non versatur cum homini-  
bus visibiliter. Quare hæc adoratio non potest intelligi, ut Judæi  
cavillantur, de externa significatione honoris, quæ presenti velut Re-  
gi tenenti civile imperium exhibetur: Sed concionantur hæc senten-  
tia de Messia exaudiente, opitulante & servante Ecclesiam suam ubi-  
què terrarum, & omnibus temporibus. Hæc propria sunt natura  
omnipotentis. Utile est igitur hanc doctrinam in Prophetis de in-  
vocatione Messia considerare. Et apparet, Patres, Prophetas, ac  
alios pios Veteris Testamenti, divinitatem Messia ipsa invocatione  
professos esse, & nos dicta illa non solum erudiunt de natura Filii, sed  
etiam consolantur, & ad invocationem exsuscitant.

LXXI. Sed redeamus ad id, cujus causâ hoc opus præcipuè  
suscepimus: Christum & absolutè dici Angelum, & esse illum, qui  
non rarò Patriarchis apparuit, & in historia Mosaica passim ce-  
lebratur, quòd sit Jehovah, Dominus Deus, Deus patrum no-  
strorum, &c. è dictis & hæctenus disputatis satis superq; con-  
stat. In reliquis confutandis, quæ ab hæreticis Photinianis  
obvertuntur, non est, quod desudemus amplius. Frivola enim  
omnia sunt & insulsa prorsus. Frivolum est, quod Enjedinus  
tantò hiatu ebuccinat, ingentiq; molimine asserere allabo-  
rat: Legans, inquit, & legatus non semper sunt diversi, sed prorsus  
unus & idem. Item: Legatus & legans sepè non tanquam duo  
diversi, sed ut unum individuum considerantur, & habentur. Addit

Enjedini  
errores.

porrò, absurdum non est, personas legantis & legati permiscere, indifferenter usurpare, ac si *idem* & legatum & legantem. Hæc, inquam, frivola sunt. Scimus equidem, quòd una eademque actio, vox & opus, sive commune effectum, ambobus tribuatur ceu causis subordinatis, tanquam principali causæ & instrumentali, uti alias ferè semper & communiter fieri solet. Certè Deo Optimo Maximo, tanquam causæ primæ rectè adsignantur omnia opera & effecta creaturarum sive causarum secundarum, adeò ut causa secunda non possit movere, & vel quicquam agere, nisi moveatur à prima. Sic generatio hominis, ejusque formatio in utero matris, etiam Deo ceu plasmatori primario adscribitur *Job. X. v. 8. 9. 10. 11. Psalm. CXXXIX. v. 13. 14. 15.* Unde non inscitè dixit S. Augustinus: *Parentibus generantibus Deus creat*: non tamen propterea Deus & homines generantes sunt unum individuum, vel una persona. Eodem modo se res habet in iis, quæ Deus efficit per creatos Angelos, de quibus Photiniani loquuntur. Sic Spiritus S. loquitur in Apostolis, & hi ipsi quoq; eloquuntur idem, non tamen propterea sunt unum & idem ratione personæ & dignitatis.

*Smaltzii  
errores.*

LXXII. Frivolum est, quod Smaltzium oggannit: *Angelum faciei eò ipsò statui, longè minorem Deo, quòd sic dicatur, & ideò eum non esse eundem Deum, cujus faciei Angelus est. μέγα λίαν ἄτημα.* Contrarium supra demonstravimus. Christus ita est facies Dei, imago invisibilis Dei *Coloss. I. v. 15. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆς τῆς ὑποστάσεως ἑ πατρὸς,* splendor gloriæ Dei, & character personæ illius *Heb. I. v. 3.* Ita nimirum est Dei facies & imago, ut sit ipse Deus conditor omnium *Job. I. v. 1. 2.* Deus verus, *1. Johan. 5. v. 20.* Deus magnus, *Tit. II. v. 13.* Deus benedictus supra omnia, laudandus in secula *Rom. IX. v. 5.* Confundit insuper hæreticus essentiam Dei cum personis. Angelus faciei Jehovæ, non est idem Deus in persona, h. e. Deus pater, est tamen idem Deus in essentia, nempe ὁμοῦσι Dei Filius, *1. Job. V. v. 7. Job. X, 30.* Qui omnia operatur pariter cum Deo Patre, ut omnes honorent filium, prout honorant patrem. *Job. V. v. 19. 23.*

LXXIII.

LXXIII. Frivolum est, quod Volckelius ingerit, *summum V'ickeli* Deum, non posse esse alterius nuncium, nec ab aliquo mitti, sed desine *errores.* nere penitus summum esse, si ab alio mittatur. Frivola & vanissima ea sunt humanæ rationis figmenta, quæ temerè nimis opponuntur manifestissimo Dei verbo. Certè Angelus fœderis & magni consilii, est Dei patris nuncius, qui voluntatem ejus nobis enaravit, *Johan I. v. 18.* revelat Patrem, *Matth. XI. v. 27.* à Deo missus est ad oves perditas domus Israël, *Matth. XV. v. 24.* ut prædicaret Evangelium pauperibus. *Luc. IV. v. 18.* ut salvaret animas, & quod perditum erat in Adamo, restauraret; Ideo scilicet, postquam venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum lege obnoxium, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, utq; adoptionem filiorum reciperemus. *Galat. IV. v. 4. 5.* At verò hic ipse tamen à Deo missus est summus Deus, unà cum Deo Patre & Spiritu Sancto, qui est in sinu Patris, *Job. I. v. 18.* unigenitus Dei Filius, *Job. III, v. 16.* proprius Dei Filius, *Rom. VIII. v. 32.* primogenitus omnis creaturæ, & altissimus supra omnes reges terræ, *Psal. LXXXIX. v. 27.* Dominus in excelsis, *2. Sam. VII. v. 19. 20.* Cujus potestas est æterna, & regnat in perpetuum, *Dan. VII. v. 13.* est Rex in Sion & Jehovah, cui omnes Reges serviant, eiq; confidant, *Psal. II. v. 6. 10. 11. 12.* Dominus gloriæ, Jehovah exercituum, Jehovah potens in prælio, *Psal. XXIV. v. 8. 9. 10.* qui dominatur à mari usq; ad mare, à flumine usque ad terminos terræ, coram quo procident habitatores deserti, & inimici ejus terram lingant, & incurvent se ei omnes Reges, omnes gentes serviant ei, *Psal. LXXII. v. 8. 9. 10. 11.*

LXXIV. Falsissimum est, quòd *Christus sub veteri fœdere nunquam dicatur missus.* Ipse enim est, qui mittitur ad Abrahamum, Patrem omnium credentium, ut cum eo fœdus iniret. *Genes. XVII. v. 1. 2. & seqq.* nec non annunciaret partum Isaac & benedicti seminis, in quò benedicantur omnes gentes terræ. *Genes. XVIII. v. 10. & seqq.* Ipse est, qui missus fuit ad Moysen, *Exod. III. v. 2. 4. 5. 6. & c.* ad populum Dei. *Exod. XXIII. v. 20. 21.* in Redemptionem populi. *Esa. XLVIII. v. 16.* missus est ad Pro-

phetam Zachariam, ut eum certiozem redderet, quòd ipse sit Jehova, qui habitaturus est in medio ecclesie, & congregaturus gentes multas, *Zach. II. v. 10. 11.*

*Rivetus de  
Novatorum  
Modernorum  
Novitatibus  
& excep-  
tionibus.*

LXXV. Sed satis de hisce. Unum adde atq; observa ex *Riveto* contra Novatores hodiernos, qui more Judæorum & Photinianorum contendunt, *Angelum*, de quo hactenus egimus, dici *Jehovam*, eò quòd Dei vicem teneat, aut ejus personam gerat, & sub eà ratione sortiri quoque alia nomina & axiomata divina. Hoc *κρησφύητον* meritò perstringit *Rivetus*, in *Commentario sup. Genes. cap. XXXII.* idque sic refellit: *Hac sententia valde incommoda mihi semper visa est; quia si in talibus semel admittatur talis representatio, in quâ creaturâ possit sibi assumere propria Dei nomina, sibi adscribere divina opera, recipere divinos honores, classes omnes argumentorum ad hæc capita spectâtes, ex quibus Deitatem essentialem Filii adversus veteres & novos Samosatenianos astruimus, evanescent; quia semper respondebunt, hæc tibi filio, tanquam Patris legato & ipsum referenti, ad Patrem terminari, etsi de Filio dicantur, qui per eos erat tantum homo naturâ, Deus autem representativè & auctoritativè, quia Deus est in Christo. Et super cap. XLVIII. scribit: magni momenti discussionem hujus argumenti esse: posito enim semel, angelos unâ cum Deo posse invocari, ipsiq; conjungi in petendis spiritualibus & corporalibus bonis; illud idem Arianis & Pneumatomachis omnibus promptum erit usurpare, quotiescunque adversus eorum dogmata proferentur ex scripturis argumenta, ex eo, quòd cum Patre invocatur Filius & Spir. S. &c.*

*Novatorum  
hodiernorum  
error  
perniciosis-  
simus.*

LXXVI. Quæ cum ita sint, nos inde sic concludimus: Qui nomina verè divina, solius veri Dei propria, & attributa verè divina, nec non opera divina, & honores divinos, soli vero Deo competentes, attribuunt angelis creatis; illi tum Judæis applaudunt, tum hæreticis Photinianis latam portam aperiunt, tum perniciosissimos errores inducunt, tum fundamenta fidei, quibus divinitas Christi contra Judæos & hæreticos Photinianos in solidum adstruitur, evertunt penitus.

Atqui

Atqui hodierni Novatores & Antagonistæ omnes, qui Angelum faciei Jehovæ, nec non Angelum Redemptorem Jacobi, ut & Angelum Liberatorem & Ducem populi Judaici &c. de quo hætenus exposuimus, in classem Angelorum creatorum ministrantium referunt, id faciunt, uti è dictis satis superque constat.

E. hodierni Novatores, & Antagonistæ omnes &c. tum Judæis applaudunt, tum hæreticis Photinianis latam portam aperiunt, tum perniciosissimos errores inducunt, tum fundamenta fidei, quibus divinitas Christi contra Judæos & Hæreticos Photinianos infolidam adstruitur, evertunt penitus.

LXXVII. Verè scribit graviterque monet D. Hafenrefferus in templo Ezechielis contra Judæos, *constans & immotum Christianæ fidei fundamentum & æternum Axioma est: de quocunque enunciatur verum, proprium & essenziale Dei nomen, JEHOVAH, is est verus, essentialis & æternus Deus. Sed de Christo, Salvatore nostro, verum, proprium & essenziale nomen Dei, JEHOVAH, enunciatur. Christus igitur verus, essentialis & æternus Deus est. Hæc est Christianæ fidei veritas, hoc est, fundamentum æternæ nostræ salutis. Nisi enim Christus verus Deus est, nos ab hostibus nostris, peccato, morte, diabolo & inferno non liberati sumus, nec ullam spem habemus æternæ felicitatis. Hoc, pergit, fundamentum salutis, de divinitate Messia, exæcata Judæorum pervicacia convellere & evertere conatus per instantiam, quòd nomen, Jehovah, etiam aliis rebus attribuatur. Quod Judæorum commentum ibid. prolixè refutat, & alibi passim in Photinianis, & Socinianis, aliisque adversariis severè damnatur. Observes quoque quòd B. Lutherus non sine causa in enarrationibus super Gen. cap. III. pag 55. commodè scribit, monetque: Ad nostram, inquit, sententiam facit hoc in loco nomen Dei, JEHOVAH, quod nõ potest significare ullam creaturam, sed simpliciter ipsi soli creatori tribuitur. Item in operationibus super Psal. V. Tom. III. Lat. Witteb fol. 200. Nomen ineffabile, Jehovah, rectè soli Deo tributum dicitur, & quòd Deum*

*Fundamenta  
fidei de Divi-  
nitate Chri-  
sti.*

Lutherus de  
Nomine Je-  
bova.

Deum secundum substantiam & internam naturam significat. Item Tetragrammaton nomen nulli creaturæ aptari potest. Nec non in *Comment. sup. ult. verba David. Tom III. Wittenbergen- si Latino, pag 101. ut & Tom VIII. Jen Germ pag. 146. In explicatio- ne dicti Esaie LX. v. 19. Jehovah tibi erit in lucem sempiter- nam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Hie stehet klar / das unser ewiges Liecht soll der Herr und unser Gott selbst sein / vñ redet ein Herr vñ dem andern: Wer ist der Herr / von dem er spricht / der Herr wird dein ewiges Liecht sein. Ohne zweifel / Gott der Sohn / Jesus Christus / denn hie stehet der grosse Name Gottes / JEHOVAH, peculiare & proprium solius divinitatis, ut in Latin. legitur Interprete Crucigero. Idem statuamus oportet, de attributis verè divinis, soli vero Deo propriis, ut & de operibus verè divinis, nec non de cultu verè divino. De quibus ipse Jehovah pronunciat & sanctè conte- statur *Esa. XLII. v 8. Ego Jehovah, hoc est nomen meum: & glo- riam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Quo- circa ut verissima, ita notatu dignissima regula est, quam or- thodoxi Theologi ex Basilio Magno frequenter inculcant, & maximè operè urgent: *Quotiescunq; vel nomen JEHOVAH, vel opera divina, vel cultus divinus, angelo in scriptura tribuitur, ibi in- telligendus est Filius Dei, Princeps militiae caelestis, angelorum omni- um Dominus.* Hæc, inquam, solidissima argumenta & fun- damenta fidei sunt, quæ contra Judæos & hæreticos religio- sè tenenda & prensanda sunt. Quæ annon penitus convel- lant illi Novatores, qui ea omnia creatis angelis, ceu Dei per- sonam gerentibus, convenire scriptitant, boni quique, pii & cordati Viri judicent, justamq; ferant sententiam.

Conclusio de  
angelo faciet  
Jebova.

LXXVIII. Nos verò ut ea omnia fidei fundamenta sarræ recta volumus, & strictè prensamus, constanterque tenemus, ita non possumus non exinde concludere ac firmiter asserere, non creatum quendam esse angelum illum, qui tam graphicè infi- gnitur, & emphaticè exprimitur nominibus verè divinis, ut expressè ac simpliciter dicatur *Jehovah, Dominus & Deus Israë- lis,*

lis, Dominus Exercituum, Deus Patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac & Jacobi &c. nec non signanter describitur ab attributis verè divinis, ab operibus verè divinis, à cultu religioso & verè divinò, sed esse Christum, aeternum Dei filium, qui & absolute dicitur Angelus, & reverà est ille ipse Angelus, qui à patriarcha Jacobo adoratur. Gen. XLVIII. Mosique apparuit in rubo ardente Exod. III. qui propterea Dominus in rubo celebratur. Deut. XXXIII. & populum Judaicum deduxit per desertum. Exod. XIV. cap. XXIII. &c. Et hic ipse est Angelus faciei Jehovæ, qui & Angelus fœderis, & Angelus magni consilii appellatur.

LXXVIII. Sic ergo hæc sententia nostra de Angelo faciei Jehovæ, qui Angelus increatus est, Christus Jesus, æternus Dei filius, ex divinis literis abundè demonstrata est, nec non ab adversariorum *Φλυαρίαις* & strophis vindicata satis.

LXXIX. Quam ut nunc porro ex universâ antiquitate comprobemus, primò omnium præoccupamus, quod Philo Judæus scribit: *Visionem Mosi factam atq; præsentiam ejus fuisse, Qui est: Vocatum autem fuisse Angelum, eò quòd ventura denuntiabat; quodque Rabbi Moses Gerundensis, citante Masio super cap. V. Josuæ, confitetur: Iste, inquit, Angelus, si rem ipsam dicamus, est Angelus Redemptor, de quo scriptum est, quoniam nomen meum in ipso est: Ille, inquit, Angelus, qui ad Jacob dicebat, ego Deus Bethel, ille, de quo dictum est, & vocabat Mosen Deus de rubo. Vocatur autem Angelus, quia mundum gubernat, scriptum est enim, eduxit nos Jehovah ex Ægypto, & alibi, misit Angelum suum, & eduxit nos ex Ægypto. Præterea scriptum est. Et Angelus faciei salvos fecit eos, nimirum ille Angelus, qui est Dei facies, de quo dictum est, facies mea præibit, & efficiam, ut quiescas: Deniq; ille Angelus est, de quo vates: Et subito veniet ad templum suum Dominus, quem vos queritis, & Angelus fœderis, quem cupitis.*

LXXX. Hæc, inquam, doctrina de Angelo increato, Christo, nova nō est, sed antiquissima: quin & Catholicæ Ecclesiæ Christi sententia, fidesque est, quam prisci Ecclesiæ Christi Doctores, & sancti Patres, ex unanimi consensu per omnia secula

Philo Judæus  
de Angelo,  
Christo.

Rabbi Moses  
Gerundensis.

S. Patres de  
angelo in-  
creato.

Justinus  
Martyr.

S. Irenæus.

Tertullia-  
nus.

N. T. hæcenus constanter docuerunt, inculcarunt, propugna-  
runt. Ac primò quidem antiquissimus Pater Justinus Mar-  
tyr in Apologia posteriore sub finem disertè scribit, Angelum  
illum, qui in rubo ardente Mosi apparebat, & cum eo, è rubo  
loquebatur, *Exod. III.* fuisse Christum. Sic enim de eo loqui-  
tur: *Quum verbum & primogenitus Dei sit, Deus etiam est. Ac  
prius ille quidem per ignis formam & imaginem incorpoream Mosi  
ac cæteris Prophetis apparuit. Similiter in Dialogo cum Try-  
phone non semel confitetur, Christum in forma viri Abraha-  
mo conspectum, & cum Jacobo colluctatum fuisse. Quin  
ait ibidem, Patriarchis visus Deus dictus, dicitur etiam & Angelus  
& Dominus. Qui & princeps exercitus Jehovæ fuerit, Jos. V, 14.*  
Quò collineare videtur S. Irenæus, quando *lib. 3. adversus here-  
ses cap. 6. pag. 260.* de everfione Sodomitarum: *Pluit Dominus  
super Sodomam à Domino de cælo, scribit: Filium hic signifi-  
cat, qui & Abrahæ collocutus sit, & à patre accepisse potestatem ad  
judicandum Sodomitas propter iniquitatem eorum. Paulò cla-  
riùs lib. 4. cap. 17. ait: Judæi nescientes eum, qui in figura hu-  
mana locutus est ad Abraham, Aaronem, Moysen, &c. Item  
lib. 4. cap. 23. pag. 400. disertè scribit: Filius Dei ubiq; insemi-  
natus est, in Scripturis Mosi, aliquando quidem cum Abraham lo-  
quens, aliquando cum eodem comesurus, aliquando autem Sodomi-  
tis inducens judicium: Et rursus cum videtur, & in viam dirigit  
Jacob, & de rubo loquitur cum Mose. Et non est numerum dice-  
re, in quibus à Mose ostenditur filius Dei, cujus & diem passionis non  
ignoravit, sed figuratum prænuñciavit eum. Conferantur sequen-  
tia capita. Hæcenus ita illi in Secundo seculo post Chri-  
stum natum docuerunt de filio Dei, angelo increato. Idem  
porrò fusiùs atq; expressiùs inculcavit in tertio seculo Ter-  
tullianus, antiquissimus Latinorum Pater, qui & angelum  
vocat Christum, & eum frequenter sub vetere fœdere appa-  
ruisse contestatur. Sic enim in libro *adversus Praxeam cap. 16.*  
disertè scribit: *Filius Dei est, qui ad humana semper colloquia de-  
scendit ab Adam usq; ad Patriarchas & Prophetas in visione, in so-  
mno, in speculo, in anigmate, ordinem suum præstruens ab initio sem-  
per.**



per. Videlicet ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus, filium Dei descendisse in seculum, & si retrò tale quid gestum cognosceremus: Idem libro 3. adversus Judæos cap. 9. pag. 101. Qui ad Moſen loquebatur, ipse erat Dei filius, qui & semper videbatur. Item addit, angelum dixit eum ob magnitudinem virtutum, quas edicturus erat, & officium Prophetæ nunciantis, scilicet divinam voluntatem. Confer lib 2. adversus Marcionem cap. 27. pag. 382. lib. 3. c. 6. pag. 388. lib. 5. cap. 9. &c.

Præterea Clemens Alexandrinus Angelum Exod. XXIII. v. 20. 23. populi Judaici ducem, de Christo interpretatur. Clemens Alexandrinus. S. Cyprianus lib. 2. adversus Judæos cap. 5. pag. 274. angelum in Cyprianus. Genesi cap. XXI. v. 11. 12. dicit esse Deum, Christum, idem judicat de Angelo Gen. XXXI. ex Gen. XXV. Exod. XIV. v. 19. &c. Verba S. Cypriani hæc sunt: Quod idem angelus est Deus Christus, in Genesi ad Abraham: Et vocavit eum Angelus Domini de caelo, & dixit illi Abraham, Abraham, &c. Item illuc ad Jacobum: Et dixit mihi angelus in somnis: Ego sum, quem vidisti in loco Dei, ubi unxisti mihi titulum lapideum, & vovisti mihi votum. Item in Exodo: Deus præibat & angelus Dei promovit, quæ precedebat exercituum filiorum Israël. Item: Ecce Ego præmitto angelum meum ante faciem tuam ad custodiendum te in itinere. Item, quod Deus Christus in Genesi dixit ad Jacob, exsurge & ascende in locum Bethel &c. Clarissima profectò hæc sunt dogmata, & dicta de Christo angelo increato, Deo & Domino.

LXXXI. Eandem doctrinam cum in eodem seculo ecclesiæ Christi edocuerint, & ex iisdem Sacræ Scripturæ dictis adstruxerint Patres Antiocheni in Epistola Synodica, ex facili constat, quid de sententia eorum censendum sit: Sic autem scribunt: Omnes Scripturæ divine Deum, Filium Dei declarant: quas singulatim proponere in aliud tempus differimus. Hunc filium, qui semper cum Patre est, credimus, implevisse voluntatem paternam in creatione universi. Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium esse persuasum habemus, quàm unigenitum filium Dei, Deum, cui dixit: lo increato.

xit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. &c. Et ut in summa dictum sit secundum Evangelium: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et secundum Apostolum: in ipso condita sunt omnia, quæ in cælis, & quæ in terra. &c. Hanc dicit Scriptura descendisse, & apparuisse Abrahæ ad quercum Mambra, unum ex tribus: cum quo Patriarcha, tanquam cum Domino & iudice colloquebatur, & qui omne iudicium à Patre accepisset; De quo scriptum est: Dominus pluit super Sodoma & Gomorrha ignem & sulphur à Domino de cælo. Qui implens voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur in eisdem clausulis & eisdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus, quandoque verò tanquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi, impium est, existimare vocari angelum. Filius verò Angelus patris est, qui est ipse Dominus & Deus. Scriptum enim est Angelus magni consilii. Sicut & aliàs in Abraham: Et vocavit eum Angelus Domini de cælo, & quæ deinceps sequuntur: Nunc enim cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Et vocavit nomen loci, Dominus vidit: ut dicant usque in hodiernum diem, in monte Dominus apparuit. Et in Jacob: Dixit, inquit, mihi Angelus Dei per somnium, Jacob. Ego dixi, Quid est? Et dixit: Respice oculis tuis, & quæ sequuntur: Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei, ubi unxisti mihi illic titulum, & vovisti mihi illic votum. Et post luctam (ἡγήται αὐτὸν ἀνδρῶν πρὸς ἀγγελὸν ἀμυδρόν) eamque hominis prefigurati, subjungitur. Et appellatur. Jacob nomen loci illius, faciei Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Hominem (τὸν δὲ ἀγγελὸν ἀμυδρόν ὄντα ἕν ἑστί) autem prefiguratum dicimus esse filium Dei, quem ipsa Scriptura Deum esse declaravit. Quin etiam legem similiter datam esse Moysi dicimus, ministrante filio Dei, sicut Apostolus docet, cum ait: Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promissa ordinata per angelos, in manu Mediatoris. Mediatorem alium Dei & hominum nescimus præter hunc. Hæc etiam de Moyses, cui apparuit angelus in flamma ignis ex rubo, &

que.

*quæ sequuntur: Postquam autem vidit Dominus, quòd pergit ad vi-*  
*dendum, vocavit eum ex rubo. Et rursus. Ingressus congrega-*  
*Senatum filiorum Israël, & dices eis: Dominus Deus patrum*  
*nostrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, &*  
*Deus Jacob, & quæ sequuntur. Si igitur non crediderint mihi, nec*  
*audierint vocem meam (dicent enim, quòd non apparuit mihi*  
*Dominus Deus) quid eis dicam? Et in benedictionibus: Et quæ*  
*fuerint accepta ei, qui apparuit in rubo, veniant super caput*  
*Joseph. Et alias: Et dixit Dominus ad Moysen; Et hunc sermo-*  
*nem, quem dixisti, faciam tibi. Et dixit: Ostende mihi gloriam*  
*tuam. Et dixit, Ego transibo prius te in gloria mea, & voca-*  
*bo in nomine Domini coram te, & miserebor, cui misertus*  
*sum, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Quod qui-*  
*dem sic perficitur: Et descendit Dominus in nube, & stetit co-*  
*ram eo illic, & vocavit in nomine Domini. Et transivit Do-*  
*minus ante faciem ejus, & vocavit Dominus Deus. Qui enim*  
*supra promiserat se transiturum, filius Dei Dominus, & vocavit in*  
*nomine Domini, qui est Pater, &c.*

LXXXII. Hæc illi Patres Synodici Antiocheni, quæ uti  
 orthodoxa omnia sunt, & Catholicæ doctrinæ hæcenus à pri-  
 scis ecclesiæ Doctoribus & S. Patribus traditæ ad amissim con-  
 veniunt, nec non universo antiquitatis ecclesiasticæ consen-  
 sui conformia prorsus sunt; ita ea non immeritò probamus  
 laudamusque, præsertim cum non tantùm ex prioribus secu-  
 lis ecclesiæ Christi originem suam trahant, sed & in subse-  
 quentibus calculum undiquaque mereantur. Nam & eadem  
 postmodum de angelo increato, Christo, continuò docuerunt  
 succedanei Doctores. Quid S. Athanasius hac super re pro-  
 nunciaverit, id supra thesi LXV. audivimus. Cui per omnia  
 adstipulatur S. Hilarius, qui profectò prolixus valde est atque  
 operosus in asserendo & demonstrando angelo increato. Et  
 quidem in libro 4. de Trinitate sic scribit: *Qui angelus Dei,*  
*ait pag. 40. dictus est idem Dominus & Deus est. Est autem secun-*  
*dum Prophetam filius Dei, magni consilii angelus, ut personarum*  
*distinctio absoluta esset angelus Dei est nuncupatus. Qui enim est Dei*

*Orthodoxia*  
*Epistol. Sy-*  
*nod. Antio-*  
*chen.*

*S. Hilarius.*

ex Deo, ipse est & Angelus Dei. Item in fine illius pag. Deus igitur est, qui & angelus Dei est: quia & qui angelus Dei est, Deus est ex Deo natus. Dei autem angelus ob id dictus, quia magni consilii est angelus. Deus verò idem postea demonstratus est: ne qui Deus est, esse angelus crederetur. Sequatur sermo ordinem rerum. Angelus Dei ad Agar locutus est, idem ad Abraham Deus loquitur. Ex eodem ad utrumq; fit Sermo. Benedicitur Ismaël & in gentem magnam amplificandus esse promittitur. &c. Item pag. 43. Videamus autem an etiam alibi, præterquam ait Agar hic Angelus Dei Deus esse, sit cognitus. Cognitus planè est. Neq; solum Deus, sed etiam Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob repertus. Angelus autem Domini Mosi de rubo apparuit, Dominus de rubo loquitur, vocem cujus intelligendam existimans, utrum ejus qui visus est, an alicujus aliterius? Hic mendacio locus nullus est. Ait enim Scriptura: Apparuit a. illi angelus Domini, in flamma ignis de rubo. Plura vide sis in seqq. ejusdem libri, ut & in toto libro quinto de Trinitate, nec non in enarrationibus ejusdem super Psalmos. Confer Euseb. Cæsariens. Lib. 5. de monst. Evang. cap. 9. 10. & seqq. Præterea hanc causam prolixè persequitur S. Basilius Magnus lib. II. eversorio contra hæreticum Eunomium pag. 329. ibiq; sic differit: Scriptum est, quòd visus est Mosi Angelus Domini in rubo, in flamma ignis. Postquam itaq; Angelum in narratione præposuit Scriptura, Dei vocem inducit. Dixit enim, inquit, Mosi: Ego sum Deus Patris tui Abraham. Et paulò post rursus; Ego sum, qui sum. Quis igitur idem Angelus & Deus? Nonne de quo didicimus, quòd vocatur nomen ipsius magni consilii Angelus? Ego quidem non puto pluribus opus esse ad demonstrationem. Verum amantibus Christum sufficere etiam recordationem: his verò qui incurabiles sunt, nullam utilitatem ex multitudine eorum, quæ dicantur, accessurum esse. Desiderasne plura? legito sequentia ibidem, legito S. Ambrosium, qui lib. I. de Fide ad Gratianum cap. V. hanc in rem sic scribit: Lex & Propheta cum Evangelio congruentes, sempiternum Dei filium, quem annunciaverant, revelant. Hic est Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Jacob, qui apparuit in rubo Mosi: de quo Moyses ait: Qui est, misit me: non pater

Basiliius magnus.

S. Ambrosius.

*pater in rubo : non pater in heremo : sed filius Moyfi locutus est. Deniq; de ipso Stephanus dixit. Hic est, qui fuit in Ecclesia, in heremo. Hic est ergo qui legem dedit : ipse qui locutus est Moyfi dicens: Ego sum Deus Abraham : Deus Isaac : Deus Jacob. Hic est Deus Patriarcharum: hic est Deus Prophetarum. Neq; in- de abit Chrysoftomus, sed potius clarè satis docet Homil, 58. filium Dei in figura hominis luctatum fuisse cum Jacobo Genes. XXXII. additque. Vidisti, quomodo infirmitati humanae Dominus sese attemperarit, omnia agit & tractat, ut suam misericordiam declaret. Et ne admireris, dilecte, quòd tanta humiliatio- nis illius magnitudo : sed cogita, quòd & Patriarche, cum apud quercum sederet in hominis figura, cum angelis hospes fuerit, presi- gnans nobis jam multò ante & ab initio, quòd humanam naturam suscepturus esset. Similiter in loco Gen. XLVIII. agnoscit An- gelum illum fuisse Deum, qui adoratur à Patriarcha Jacobo, ut benedicat pueris. Hanc enim illic paraphrasin annectit : Ille cui Patres mei benè placuerunt, qui me à juventute mea usq; in presentem diem educavit, qui me ab initio ab omnibus malis libera- vit, qui tantam erga me declaravit benevolentiam & providentiam, ipse benedicat pueros istos.*

LXXXII. Sic ergo in quarto seculo Ecclesie Christi de An- gelo increato, Christo, constanter & unanimiter docuerunt orthodoxi Doctores. Huc facit, quod Syrmiese concilium de angelo, qui Abraham apparuit, nec non de viro, qui cum Ja- cobo luctatus fuit Gen. XXXII. pronunciat, quod nempe iste fuerit æternus Dei filius. Sic enim decernit, statuitque, *si quis Abraham, non Filium, sed ingenitum Deum aut patrem ejus vi- disse, asseveret, anathema esto: Si quis cum Jacob non filium collu- etatum esse dicat, sed ingenitum Deum aut Patrem ejus, anathema esto. Si quis hoc dictum, Pluit Dominus ignem à Domino, non de Patre & filio accipiat, sed ipsum à seipso pluisse dicat, anathema esto. Pluit enim Filius Dominus à Domino Patre. Verè ac be- ne sic statuit Concilium Sirmiese. Verissima profectò sunt illa decreta, quæ ex asse consentiunt cum universa prisca Ec- clesia. Quocircà temerè rejicienda non sunt, sed probanda*

*potius*

*Chrysosto- mus.*

*Orthodoxa  
formula con-  
cilii Sir-  
miensis.*

potius ceu' orthodoxa acceptanda atque commendanda. Quam enormiter hic erret Calixtus alibi non semel exposuimus. Falsissimum est, quod non nisi Arianæ partis Concilium ita docuerit, & ejusmodi Fidei formulam de apparitione Filii Dei sub vetere fœdere præscripserit: Nam hæc utique orthodoxa prorsus est illius Concilii formula, & ex orthodoxorum patrum suffragiis concepta est atque promulgata. Conferatur D. Joh. Dorschei collatio ad Conc. Sirmiente Sect. II. cap. I. pag. 81. & seqq.

LXXXIV. Tandem ut ad finem propius acceleremus, pauca saltem ex quinto Ecclesiæ Christi seculo huc accersere placeat. Nam & illic copiosè satis talia proponuntur & porro propagantur dogmata, quæ ut causæ nostræ, de Angelo Faciei Jehovæ non parùm commodant, ita & sententiam ecclesiæ Catholicæ de Angelo increato, Christo, haut obscure nec absimiliter, ut in prioribus seculis factum erat, proponunt. Neque enim putandum est, ac si succedanea ista ecclesia aliam novamque prorsus doctrinam excogitaverit, atque procuderit, sed veterem, potius & retinuit constanter, & magis magisque expolivit. Primus Doctor in quinto seculo laudatur S. Augustinus, qui tantùm abest, ut more Calixtino simpliciter neget Christum absolutè dici Angelum, vel fuisse Angelum illum, de quo hætenus egimus, & qui apparuit Patriarchis Abrahamæ, Jacobo, Mosi &c. ut potius *lib. XVI. contra Faustum, cap. 19.* asserat graviter, verbisque expressis attestetur, Angelum rectorem populi Judaici fuisse Christum ex loco Exod. XXIII. v. 20. 21. *Scrutetur, inquit, hunc locum non solum Manicheus, sed etiam Judeus, utrum de aliquo alio dixerit Deus. Nomen meum est in illo, nisi de hoc ductore populi. Jesus enim est rector & ductor populi in hereditatem vitæ æternæ. Cujus typus fuit Josua nomine & re.* Item *lib. 2. de Trinit. cap. 13.* scribit: Angelum Mosi apparentem Exod. III. esse Filium Dei, cum dicatur Deus: *Numquid ergo, ait, Angelus est Deus Abrahamæ, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi? potest ergo rectè intelligi ipse Salvator, qui est Deus benedictus super omnia.* Et continuò inferat: *qui ergo*

ergo est Deus benedictus in secula, non absurde etiam hic ipse intelligitur Deus Abraham, Isaac & Jacob. Item ibid. cap. XI. & seqq. differit; Nec non lib. III. ibid. cap. XI. pag. 293. lib. de hæresib. ad quod vult Deum sub fin. in orat. annexa cap. 4. & 5. & c. Filium Dei Abrahamæ, & Mosi apparuisse ac innotuisse. Sic porro non diffitetur planè, Christum esse illum Angelum, qui Abrahamo apparuit, cum maciare jubebatur Isaacum. *Genes. XXII.* sed potius eam in sententiam haut obscure inclinât, ibique in *quest. sup. Genesin, quest. 59.* sic loquitur: Hic vel nomine Angeli Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, & à Propheta manifestè dictus magni Consilii Angelus, vel quia Deus erat in Angelo. & c. Similia non pauca passim se offerunt & suppetunt, utpote, quando sanctus Augustinus passim docet, Christum in V. Test. non rarò visum fuisse in assumptâ visibili forma, sicuti legere licet in *Epist. CXI.* ubi veterum SS. Patrum, Athanasii præsertim, Gregorii & Ambrosii sententiam laudat, qui filium Dei Patriarchis apparuisse in aspectabili forma asserunt: Sic enim ibid. pag. 519 scribit: Magni quidam viri & in Scripturis sanctis doctissimi, qui plurimum ecclesiam & bona studia fidelium suis literis adjuverunt, ubi ejus occasio data est, dixerunt, invisibilem Deum invisibiliter videri, hoc est, per eam naturam, que nobis quoque invisibilis est. Sed mox addit, videri tamen in corporali specie: Item sic pergit: Beatissimus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum ageret adversus Arianos, qui tantummodò Deum Patrem invisibilem dicunt, Filium verò & Spiritum S. visibiles putant, æqualem Trinitatis invisibilitatem Scripturarum sanctarum testimoniis, & diligentiam suæ disputationis asseruit, instantissimè invadens, Deum non esse visum, nisi assumptione creaturæ: secundum Deitatis autem suæ proprietatem omninò Deum esse invisibilem. Gregorius etiam S. Episcopus Orientalis apertissimè dicit, Deum naturâ invisibilem, quando Patribus visus est, sicut Mosi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumptâ, salva suâ invisibilitate videri potuisse. Hoc est, quod etiam noster dicit Ambrosius, &

*Augustinus  
de Appari-  
tione filii  
Dei in V. T.]*

*Verba Augu-  
stini de visio-  
ne filii Dei in  
formâ cor-  
porali.*

K

Patrem

Augustinus  
ex S. Ambro-  
sio de Dei  
visione.

„ Patrem & Filium & Spiritum S. eâ specie videri, quam vo-  
„ luntas elegerit, non natura formaverit: ut & illud verum sit,  
„ quòd Deum nemo vidit unquam: quæ vox ipsius Domini  
„ Christi est: & quem nemo hominum vidit, nec videre pot-  
„ est: quæ vox Apostoli, imò ipsius per Apostolum Christi est:  
„ & illa non repudientur testimonia Scripturarum, quibus  
„ Deus visus esse narratur, quia & invisibilis est per propriam  
„ Deitatis naturam, & cum vult, videri potest per assumptam,  
„ sicut placuerit, creaturam. Idem repetit, & ex S. Ambrosio  
uberius inculcat, in sequente *Epistola CXII. cap. 6. 7. 8. pag. 531.*  
*Et seqq.* Cum, inquit, Ambrosius Mediolanensis Episcopus  
venisset ad eum locum, ubi Angelus apparuit in templo Zacha-  
riae Sacerdoti, ex hac occasione, vide quanta & qualia de Dei etiam  
visione differuit. Non immeritò, inquit, videtur Angelus in tem-  
plo, quia veri Sacerdotis jam nunciabatur adventus, & benè appa-  
ruisse dicitur ei, qui eum repente conspexit. Hoc specialiter aut de  
Angelis aut de Deo Scriptura divina teneri consuevit, ut quod non  
potest videri, apparere dicatur. Sic habes: apparuit Deus Abra-  
hæ ad illicem Mambrae *Gen. XVIII.* Item cap. 7. *ibid.* pag. 533.  
Quod si dicitur filius à Patribus visus, ut de Deo patre accipiatur  
dictum, quòd eum nemo unquam viderit: non quidem amisit oc-  
casionem Ambrosius, ut hinc quosdam hæreticos redargueret, id est,  
Photinianos &c. Et paulò pòst: aut certè refelli non potest, vel  
Patrem, vel Filium, vel Spiritum S. eâ specie videri, quam voluntas  
elegerit, non natura formaverit, sicut in specie columbæ vi-  
sus est Spiritus S. Plura videantur *ibid.* Sed de apparitione  
Filii Dei sub veteri fœdere in forma spectabili, alius differen-  
di locus erit. Sufficit hoc loco ex S. Augustino insinuas-  
se, quòd ipse non simpliciter neget Christum olim & absolutè di-  
ctum fuisse Angelum, & apparuisse quoque S. Dei viris. Re-  
petantur ea, quæ supra thel. 66. ex Cyrillo Alexandrino pro-  
duximus. Profectò hæreticis accenset ille omnes, qui negant,  
Christum Filium Dei fuisse illum Angelum, qui Jacobo &  
Mosi apparuit. Conferatur deniq; Theodoretus quæst. 5. &c.  
qui idè asserit ex *Exodo cap. III.* ubi Angelus dicit se esse Deum,  
urget.

Theodore-  
tus.



urgetque, quod angelus nomen suum declarans dicit, *sum qui sum*, quod in solum Deum convenit.

LXXXVII. Quæ omnia, cum omninò ita se habeant ἐπιγαλμοφανερώς patet, non erroneam, non novam esse doctrinam fidemque nostram, quam de Angelo increato, Christo Jesu, æterno Dei filio, nec non de Angelo faciei Jehovæ, etiamnum constanter profiteamur, sed eam planè verissimam esse atque antiquissimam, in divinis literis tam V. quàm N. Test. clarissimè ac solidissimè assertam, ut & in universa antiquitate ecclesiastica traditam, totiusque Ecclesiæ Catholicæ consensu confirmatam, nec non suffragiis plurimorum tam veterum quàm recentium Ecclesiæ Dd. comprobata: Constat itidem contrariam Calixti doctrinam falsam prorsus esse, & novam in prisca Ecclesia Christi inauditam, eamque *χρῆς καὶ πρώην* natam, cui meritò B. Lutherus è tumulo acclamet. *Es ein feiner Glaube/der nicht so alt ist/als ein Mann von sechzig Jahren.* Quia & perniciosissima potè est illa opinio Calixti, quæ hæresin Photinianorum redolet, & latissimam portam aperit Judæis & hæreticis, divinitatem Christi negantibus, ut hætenus abundè satis demonstratum est. Facessant ergo, procul hinc facessant ejusmodi Novitatum Calixtinarum portenta.

LXXXVIII. Longè rectius olim in ecclesiis Saxonice do-  
cuerunt ecclesiæ Doctores, etiam Luneburgenses, Brunsvicenses, & Helmstadiensis, uti ex publicis scriptis perquam notum est. Audiatur saltem Doctor Tilemannus Heshusius, qui in suis concionibus, de cap. Christianæ Religionis passim inculcat Angelum increatum, qui est æternus Dei Filius, Christus Jesus: *Sonderliche achtung/ait, soll ein Christ geben/auff die ort in der Schrifft/da des Engels des H. Erren gedacht wird. Denn solches zum offtermal nicht von einem erschaffenen Engel/sondern vom allmächtigen Sohn Gottes selbst zu verstehen/ als der da ist die Botschafft Gottes des Vaters/ verkündet uns seinen heimlichen verborgenen Rath/ist Angelus magni Consilii, und der Engel des Bundes/wie Jhu Maleachi nennet. Wann dann nu Gott selbst ein Legat des H. Erren genennet wird / so müssen unterschiede-*  
ne

ne Personen in der Gottheit seyn / eine die da sendet / die andere / die  
gesandt wird. Quam in rem & multa loca adducit ex Gen. XVI.  
Gen. XXXI. item, Gen. XLVIII. ibique de Angelo Redemptore  
Jacobi disertè scribit, Darumb auch Jacob / als er die Söhne  
Josephs will segnen / den Engel des H. Erren nicht als einen erschaf-  
fenen Geist / sondern als den Allmächtigen Gott selbst anruffet /  
und spricht: Der Engel / der mich erlöset hat von allem übel / der  
segne diese Knaben. Eadem repetit Serm. 2. & Angelum, qui  
Mosi apparuit Exod. III. & seqq. prolixè exponit de Filio Dei;  
& tandem sic concludit: Es wird Gott der Vater nirgend in  
der Schrift ein Engel geheissen / denn er von niemand gesandt  
wird / darumb muß es vom Gottes Sohn verstanden werden / wel-  
cher ist Angelus magni Consilii, der den grossen und heimlichen  
Rath von unser Seligkeit uns offenbahret / und darzu vom Vater  
gesandt wird / wie Jhn dann Mateachi / den Engel des Bundes nen-  
net: Auch der Engel / so den Erzväter erschienen / offte selbst zeuget /  
daß Er der wahre Gott seye. Als da Er Mose erscheinet / und aus  
dem Feuer mit ihm redet / spricht der Engel: Ich bin der Gott Ab-  
raham / Isaac / und Jacob / &c. Aus welchem offenbahr / das  
nicht der Vater / der den Nahmen Engel nicht führet / wie gesagt /  
sondern Jesus Christus Gottes Sohn Mose seye erschienen / und  
ihm befehl an die Kinder Israel gethan; Das auch Jesus Chris-  
tus der Gott sey / der mit Abraham / Isaac / und Jacob geredet ha-  
be / auch der H. Er sey / von dem Moses allenthalben zeuget / und der  
die grossen Wunder in Egypten gethan hat. Diese Anleitung  
wird uns ganz viel Zeugnis von der Gottheit Jesu Christi im Al-  
ten Testament zeigen. Sed manum de tabulâ. Deus nos  
servet in veritate, & nova dogmata quæq;  
quàm longissimè averruncet.

SOLI DEO GLORIA,

05 A 1467


**ULB Halle** 3  
003 777 863



VD17








*In nomine Jesu!*  
Disputatio ordinaria  
&  
Catholica assertio  
De  
ANGELO FOEDERIS,  
ANGELO FACIEI JEHOVÆ,  
&  
ANGELO MAGNI CONSILII,  
tùm ex divinis literis, tùm ex Consensu Antiquitatis  
ecclesiasticæ constructa, perpetuisq; SS. Patrum suffragiis  
nec non aliorum ecclesiæ Dd. Testimoniis  
comprobata,  
*Jesuitis verò, Calvinianis, Photinianis hereticis, ut & Novatoribus ho-*  
*diernis, ac præcipuè D. Georgio Calixto, opposita.*

*Quam*  
Auspicio S.S. Trinitatis  
*In Electorali Academia Wittebergensi,*  
Sub Præsidio  
JOHANNIS SCHARFII S.S.  
Theol. D. & P. P. Collegij Senioris, Templi Aca-  
demici Præpositi &c. Patroni, Promotoris, ac Præceptoris sui  
omni observantiæ cultu ætatèm colendi,  
*Publicæ ventilationi subjicit*

M. Johannes Georgius Stempelius Schlaccovvald.

*Ad diem 29. Julij.*

In Auditorio majori publ. horis matutinis.



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Rohneri Acad. Typogr. Anno, M DC LII.

